



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

Martius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

ves ! quàm jucundi erunt labores pœnitentiæ ! si interdum consideraveris horrendas veterum monachorum austeritates, & tormenta, quæ Christus pro te passus est. Equam est, ut per brevissimum vitæ nostræ spatium æternam quæramus felicitatem.

Quæramus usq; in finem, unde sine fine gaudere mereamur. Euch.



MARTIUS.

S. SVVIBERTUS.
EPISCOPVS.

i. Martii.

Tu si vis esse celum, purga de corde tuo terram : si vis esse stella cali, purga sordes terra. Aug. in ps. 96.

Hujus etiam splendorem multò ante, quàm nasceretur, stella nuntiavit, in matris lectulum visa delabi. Proprium certè sidus in SWIBERTO Hollandi, Daci, Lotharingi, Brunovicenses, Frisones, Westphali, Saxones, Colonienses, aliiq; agnoscunt, ut quibus omnibus fidem ille in superstitionis nocte prælucere cœpit, cum

K 3 primùm

primū anno quinto decimo inter viros
 Religiosos adlectus fuit, multò magis po-
 steà, cū facere hoc impositū munus Epif-
 copi iussit. Sed & Numen calculo suo Apo-
 stoli officium confirmavit, quando vinctum
 à Germanis, misso Genio bono, è carcere
 eduxit. Testes porro dicenti accesserunt
 præter alios cæci, surdi, muti, dæmones
 adeò ipsi, & tres demortui; illi sani omnes
 à Divi manu; hi vel pulsī, vel in vitam re-
 vocati. Atque hos inter adolescentem me-
 morant, cui vocabulum Splinterus erat.
 Hic SWIBERTO templum anni superstru-
 ctum sacrate, dum cymbā ludit incautus,
 excidit, & aquis haustus in cerore festum di-
 em contaminat. Parentes alieni à divino
 cultu, defunctum in fanum proximum in-
 ferunt, & frustra omnibus precibus arma-
 tas Marris aures pulsant. Nimirum vitam
 ille redderet, qui aufert omnibus? Quod
 tamen huius non potuit, IESV nomen in-
 vocatum à SWIBERTO potuit, & puer in
 vitam revocatus, plures à superstitione re-
 vocavit. Denique Stella nobilis, SWI-
 BERTVS cū diu in terris egisset, locum
 suum, ex quo venerat, repetiit.

Ex Surio

MEDIT.

MEDITATIO

Estis hodie sicut stella cali.

1. **Q**uem Sol JESUS aspicit ut Swibertum, is quantumvis antea terræ umbris nigrior, in cæli stellam elucescit. Cur Maria resplendet pulchra ut luna? cur Apostoli fulgent ut Stellæ duodecim Zodiaci? quia Sol JESUS eos aspexit gratiæ radiis. O JESU qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, respice me, & miserere mei. ps 24.

2. Vix respexit JESUS Apostolos, nec mora suis virtutum radiis Ecclesiam ceu cælum suis bonorū operum, virtutumque radiis exornarunt. *Ornamenta colorum, sunt virtutes predicantium.* Greg. hom. 30. Tu si non voce in cathedrâ, saltem virtutibus prædica, & Ecclesiam splendore sanctioris vitæ exorna.

3. Stellæ dederunt lumen in custodiis, vocatæ sunt & dixerunt adsumus. Stella es in Ecclesia Dei? vocatus à Deo cum Abraha, dic adsum: & verbum Domini ad amissum imple. *In celo nulla transgressio, non demeritio, non infirmitas, non otium, sed in indefessis obedientia ministerii perseverat, quo exemplo in sanctis quoque, qui caelestes sunt, Dei verbum manere credendum est.* Hilarius.

194. [ed.]
S. CEADDA EPISC

2. Martii.

*Satagite, ut per bona opera certam
vestram vocationem, & electio-
nem faciatis. S. Petrus. Ep. 2. c. 1.*

MOrtem ut ne timeas, time Lector; ne-
que enim illi olim timent, qui nunc
timent: id quod CEADDA Merciorum &
Lindisfarnorum in Anglia Episcopus mani-
festum faciet. Obiit ille anno post Orbem
restauratum Septuagesimo secundo supra
Sexcentesimum. Gremium mortuo Mariae
templum praebuit, ipse agris asylon tumu-
lum suum, cujus pulvis haustus morbidis
quam plurimis saluti fuit. Caeterum solitus
est, dum vixit, quoties vehementior caelo
ventus insurgeret, humi se abjicere magnis-
que vocibus MISERICORDIAM DEI implora-
re: jam caelo gravius succensente, & fulgu-
ra tonitruaque miscente, ad templum fuge-
re & aram; neque ibi prius sibi a lachrimis
temperare, quam iterum Sol rideret. Cau-
sam interrogatus, respondit: ex his veluti
praelydiis aestimare se illum supremum ac de-
cretorium

cretorium diem. Vtique minùs tunc homi-
 nem fulgurantes iudicis oculos, & fatalem
 ab arcu sententiam detonantem laturũ. Sed
 talis CEADDA nunquam magis serenum
 Cælum, quàm moriens aspexit. Siquidem
 septem continuis diebus aspectabiles è cælo
 Angelos habuit, qui ad cæli gaudia invitã-
 runt emeritum, utque aures faciles impe-
 trarent, ah! quali musicâ has demulserunt.
 Ultimò, cum iisdem Frater CEADDÆ ad-
 fuit, qui cum nuper adeò in cælum ivisset,
 viam scilicet nunc Germano monstravit.

Ex Bedâ, Histor. Eccl. Gent. Angl.

M E D I T A T I O

De signis predestinationis.

1. **T** Ametsi nullus, dum vivit, omninò sciat, an
 electus, an reprobus futurus sit; sunt tamen
 predestinationis signa propè certissima. Si miseris,
 si afflictionibus premaris, easque humili ac patienti
 animo feras, signum est, ut dolorum, sic gaudio-
 rum Christi, socium te fore. Timete igitur hujus
 mundi felices, qui habetis bona in vitâ vestrâ, &
 quorum votis fortuna videtur famulari; non enim
 Christum, sed reprobum Evangelii divitem sequi-
 mini, nec eâ, quam teneris, viâ ad cælum perve-
 niatis; quoniam *per multas tribulationes oportet nos
 intrare in Regnum Dei.* Act. Apost. cap. 14.

2. Alterum prædestinationis signum est rectus Sacramenti pœnitentiæ usus. Peccare omnium est; at electorum duntaxat rectè pœnitere. Cave diligenter, ne propter pœnitentiæ procrastinationem in peccato moriaris. Noli peccata jam confessione expiata iterum committere

3. Insitum virtutis, & honorum operum studium, pietas in Jesum, vel in Cruce morientem, vel delitescentem in sacro Eucharistiæ Sacramento, cuius Mariæ singularis, signa sunt prædestinationis nostræ. Inquire in te ipsum, vide, utràm hæc omnia signa, aut horum aliqua habeas; ea enim si in te deprehendas, Deo confide, & habe magnam spem tuæ salutis *Vocationis & justificationis vestra aliqua signa mihi videor intueri.* S. Bernard.

S. CUNEGUNDIS.

3. Martii.

Charissimi, obsecro vos tanquam advenas, & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam.

S. Pet. 1. Ep. c. 2.

NVlla tam in diademate CUNEGUNDIS
gemma, quàm in ipsa CUNEGUNDE
Virginitas splenduit; quæ ut cæli oculos
mirè

mirè recreavit, ita Cacodæmonis usq; adeo
 perstrinxit, ut quando extinguere non po-
 terat, offuscare saltem sinistris apud animū
 HENRICI suspicionibus sit admissus: Sed
 provocavit ad flammās iudices innocentia,
 & innoxius à ferro candenti pes, egregium
 inculpato animo testimonium dixit. Porro
 cum thori castissimi custodem moīs abstu-
 lisset, verita CUNEGUNDIS tantum thesau-
 rum mundo concedere, in Caufungensem,
 quem ipsa struxerat, Parthenonem cum eo
 se abdidit; cuius disciplinam cum Ura ne-
 ptis ejus laxaret, verbis sapius nequidquam
 increpitam, tandem etiam manu objurga-
 vit, & digitorum luculentas notas in gena
 ista reliquit, nulla deinceps arte confusas
 vel deletas. Moritura de cælo Henrico ob-
 viam ijt, ad sistendum iudici orbis miracu-
 lum, Imperatores Coniuges, sed Virgines:
 ad tumultum ejus multis vita reddita, qui
 cum CUNEGUNDEM matrem suā salutarent,
 probârunt immeritò Virginitati sterilitatem
 objici; quid? quòd nec ipsa gleba, sub quâ
 Virgo cubat, infœcunda fuit, sæpe in thus
 & fat conversa, persuasura mortalibus, nec
 fragrantiorē esse Castimoniâ virtutem,
 neque felicius ullum germen.

Ex vita apud Greiserum.

MED.

MEDITATIO

De Castitate.

1. **D**ifficile est, in mediis mundi deliciis castè vivere; cave, putes, leviori negotio posse te servare thesaurum puritatis; in omni quippe loco, in omni ætate, diu noctuque præliandum: Ast virtus, quâ sumus Angelis similes, sanè digna est, quæ multis laboribus conservetur: pulcherrimum hoc lilium sudoribus, lachrymis, & etiam si expedit, sanguine, rigandum est, ne marcescat.
2. Quod hominum fragilitati difficillimum videtur, favente celo, fit facillimum; verum quidem est, absque gratia continentem esse neminem; sed ejusmodi gratia petenti, & in ea acquirenda acriter laboranti non negatur. Noli tibi fidere, humilia te ipsum, Dei auxilium flagita; hæc si feceris, Deus dabit gratiam, cujus ope carnem spiritui subjicies. Fuge diligenter vel umbram impuritatis; omnia quippe peccata, quæ puritati contraria sunt, quantumlibet levia videantur, sunt omninò periculosa. **O**mni curâ serva thesaurum castitatis, hic etenim thesaurus continetur in vase fictili, quod facile rumpitur.
3. Ociùs fuge occasiones, in quibus periclitatur castitas. Ubi primùm è vivis excessit S. Henricus, Cunegundis ad Monasterium fugit; in fugâ salus & victoria. Haud multùm credas partis pridem victoriam: vel unicus aspectus deprædabitur animam tuam.

am, Non es Salomone sapientior, nec sanctior Da-
vide, qui victi sunt à stimulo carnis. Ubi primùm
flammæ minùs pudicæ in corde tuo accendentur,
eas protinùs cogitatione flammaram æternarum
restringue. *si flamma luxurie in ossibus astuat; proti-
nùs illam memoria æterni ignis extinguat.* Damian.

S. CASIMIRUS.

4 Martii.

*Beati mundo corde, quoniam ipsi
Deum videbunt.* Christus. Matth. 5.

CASIMIRUS Casimiri Regis Poloniae filius
necdum Ephebis egressus, in ipsa jam
adyta Sanctitatis est ingressus. Coronam
Ungariae quanto alii studio vel ambire vel
rapere solent, tantò ille repellere à capite suo
adlaboravit. Summâ hieme nudis pedibus
noctu templa obibat, purpura non corpus,
sed cilicium tegebat: somnum humi capie-
bat, gnarus, nusquam alibi tam securos
castitatem somnos dormire. His studiis oc-
cupatum morbus invadit. Lamentantur pa-
rentes; illacrymatur aula; adgemiscunt regna.
Circumstant interea lectulum medicorum
turbæ, medicinam facilem Nuptias suadent,
concessam ægro voluptatem. Sed noluit ille
vivere,

vivere, nobilissimâ animæ parte, Virginitate emortuâ. Itaq, ne non virgo moreretur, juvenis moritur, dignus qui in omnium ore ac calamis vivat. Et verò vivere etiam post mortem Poloni compererunt, cum candidissimo equo in vectus contra Moschos moventibus Dux adfuit, & tractis per aquas compendium ad nobilissimam victoriâ monstravit. Quin cum anno obiisset à pariente VIRGINE M. CCCC. LXXIII. anno deinde M. DC. IV. corpusculum Virgineum unâ cum versibus, quos in laudem VIRGINIS panxerat, secumque tumulo inferri mandaverat, integerrimum est repertum. Legant hoc ii, qui insuper habent mactare quotidie castitatem; cui tamen mors ipsa non nisi volenti vim facit, quin mortuæ etiam timet manus inferre.

Ex vita,

MEDITATIO

De Peccato.

1. **P**eccatum est summum hominis malum, illudq; homo vitare debet, quovis labore, & quovis damno. Tibi itaq; certum fixumq; sit, dignitates, sanitatem, & quidem vitam ipsam potius amittere, quàm ut vel unum committas mortale peccatum? & voluptatum causâ Deum offendis? 2.

2. Non mortale modò, sed & veniale peccatum, quâlibet jacturâ, vitare debemus, quia veniale peccatum displicet Deo, ipsumq; offendit. Communis est Sanctorum sententia, interitum hujus mundi nihil esse ad veniale peccatum. An in eadem es sententia? Quot singulis diebus venialia committis peccata? Cave, leviores morbi ad graviores deducunt. Nullum unquam quantumlibet parvum peccatum consultò committas, monet enim S. Chryl: *Ne illud parvum negligamus, quod citò neglectum fit magnum.*

3. Non sufficit peccato tum veniali tum mortali abstinere; quoad ejus fieri potest, refecare debet minima quæq; vitia, & ipsa Christi consilia sequi, exemplo sancti Casimiri, qui Evangelicum castitatis consilium vitæ suæ anteposuit. Quàm longè abes ab observatione consiliorum, tu, qui vix mandatis obtemperas? *Qui non facit, quod jussit Dominus, gratis sperat, quod promissit.* Chrysol.

S. PHOCAS M.

5. Martii.

Qui parcè seminat, parcè & metet, & qui seminat de benedictionibus, de benedictionibus & metet.

S. Paul. 2. ad Cor. cap 9.

S PHOCAS olitor erat, sed studiosiùs ac diligentius animam tuam, quàm hor-

tum colebat: pro semine verbum Dei, pro floribus modestia & exterior comitas, pro fructibus ei erant omnia virtutum Christianarum, aræ, quæ sicut cinnamomum & balsamum aromatizans odorem suavitatis dederunt Deo; & fructus ejus dulces gutturi eorum, qui degustabant eos. Cùm Tyrannus ex odore virtutū ejus cognovisset, eum esse Christianum; ad capiendum illum illicò milites misit, quos PHOCAS quàm potuit humanissimè ac lautissimè tum oleum ex horto, tum charitatis hospitalis dulci convivio excepit. Post prandium cùm ex eo milites sciscitarentur, num cognosceret olitorem PHOCAM? EGO SUM, ait: illis autem tantâ viri humanitate jam cicuratis, nec violentas ei manus injicere, nec ligare volentibus, *date (inquit) date vincula, nihil gratius mihi feceritis.* Scivit nimirum PHOCAS etiam ligatis pro Christo manibus, liberè ac fructuosè coli posse animi nostri hortum. Ductus ad Præsidentem, abscissione capitis Martyrium complevit, novus cælestis horti inquilinus, quem suo Sanguine Mercatus est.

MEDIT.

100) 103. (1050)
MEDITATIO

Anima nostra est horto similis.

1. **Q**uisquis bonas fruges cupit percipere, eas serat oportet; tum sœpius & ferro eradicet, & igne comburat lolia, quæ iplo invito, nascuntur. Cupisne animam tuam fructus habere dignos, qui mensæ Patris Cœlestis apponantur? Primum bonum semen sere in anima tua, audi tum externum, tum internum Dei Verbum: deinde eradica pravas cupiditates, quæ in corde tuo præfocant cœlestis gloriæ semen. Nullos dabit fructus anima tua sine mortificatione. Nunc quidem durum tibi est, assiduis laboribus sterilem terram colere, eamque rigare lachrimis, & sudoribus tuis, sed planè jucundum erit tempore messis, id est mortis, laborum tuorum fructus colligere.

2. Largâ manu semen sparge, si messem velis copiosam, in sanctis operibus multus esto, ut multam mercedem recipias: effuso prolixoque animo Deo largire, quidquid potes, plura semper merebitur; Labora, patere, dum vivis, nam parere possunt aternitatem pauci dies. Eucher.

3. Olinor frustra lutum hortum coleret, si cœlum imbres, & astra benignos influxus denegarent, frustra pariter colis animam tuam, si careas humilitate, quâ nimirum obtinetur ros gratiæ cœlestis, sine quo rore sterilis est anima, sicut terra sine aquâ. Neque qui plantat, est aliquid. neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. S. Paulus.

L

S. CO.

o| 104. |o

S. COLETA V.

6. Martii.

*Usque modo non petistis quidquam
in nomine meo: petite, & accipie-
tis, ut gaudium vestrum sit plenu.*

Ioan. cap. 6.

COLETA in vivis jam ea spectacula me-
ruit, quæ puris mentibus Christus o-
lim promisit, ut quæ hunc & Cælites alios
familiares quotidie in oculis habuit. Quare
vaticiniis ac miraculis clara, & à Ioanne A-
postolo, annulo Christo desponsa, ab hoc
ipso tandem in coelos deduci visa est. Epu-
lum Eucharisticum ingenti fame appetiit;
& hinc, favore in paucis memorando, eun-
dem convivatorem & cibum quandoq; na-
cta, Christum è Christi manu accepit. Aspe-
ra quæque ferre ejus amore ita avebat, ut
omnes Martyrum cruciatus lubens volens
persenserit, toties propè Martyr dicenda,
quot Martyres cælum numerat. Sed ad id
impulit nimirum Servator, qui ei tormen-
ta, quæ exantlasset, quibusque membris,
singula ipse omnia enarravit. Addo, quod
primo omnium loco erat ponendum: | pre-
canti

canti in conspectum MAGNA MATER se
& FILIOLVM suum dederat; sed non eum,
qui è sinu vel MATRI vel COLETÆ arri-
deret, sed qui unam jam toto vulnus cor-
pusculo, lachrimis tuis commiserationem
videretur atque opem exposcere. Adjecit
FILIO adgemiscens MATER, illam etiam
hodie facinororum crudelitatem esse: uti-
que pueritiæ cumprimis, quæ vix natum
Christum, vix ipsa nata, non jam uno con-
cidit vulnere. quin quod placet prævenire
Iudæorum manus: Puerum Christum in
crucem pueri agunt, nec semel agunt; Su-
peri! quid gigantes facient, quando bellum
caelo punitiones inferunt?

Ex Steph. mi.

MEDITATIO

De cultu sanctissimi Sacramenti.

1. **C**um à Sacerdote celestis hostia auolleretur
lachrimas tenere non poterat Coleta, quia
fidem vivam habebat, & amore vehementissimo
Jesum complectebatur. Ita planè Jesum amares, si
haberes vel minimum fidei, feres utique, quod
Christus insuitis honoribus dignus lapissimè suis
in ædibus ludibrio habeatur: feres etiam, quod
ciminibus ac peccatis tuis author fueris eruenti il-
lius sacrificii, cujus memoria nostris in altaribus
quotidie recolitur. L. 2. 2.

2. S. Coleta impetravit à Domino, quæcunq̃ ab eo petit; spera pariter accepturum te, quidquid petieris à Patre æterno, meritis Jesu Christi in Eucharistiâ absconditi. Pete, imbecillior est fiducia tua. An nescis, Jesum ideò duntaxat in terris remansisse, ut tibi præsto esset? Audi vocem illius, audiet tuam; præbe ipsi, quod petit à tanto tempore, dabit vicissim, quod tu petis. *Non audivimus, non audimur: non respeximus, non respicimur.* Salvian.

3. Si vel parùm Jesum amares, exemplo S. Coletæ, ardentius coleres augustissimum Eucharistiæ Sacramentum; si cuperes ex animo amari à Jesu, illum domi suæ sæpius convenires, illum frequentius, & religiosius comitareris, sive cùm solenni pompâ in publicis supplicationibus circumfertur, sive cùm ægrotos adit. Quid multa? ut amicus cum amico, sic ageres cum amantissimo Jesu. Volo Domine, volo amare, quandoquidem immeritum me & indignum amâsti. *Diligam te Domine toto corde meo, quia prior dilexisti me.* Aug.

S. THOMAS AQVIN.

7. Martii,

Vos estis Lumen mundi. Matth. cap. 5.

THOMAS Aquinatium Comitum sanguis, infans oblata fortè in scheda verba,

ba, quibus **MARIAM** salutamus, illicò devoravit bellaria omni Infantiaè danda. Puer in bulla sua Mundum agnovit, eoq̄ue ad **D. Dominici** castra confugit; sed retractus à tam generosa fuga egregiam pugnam edidit, Veneremq̄; ab inimicis domesticis subornatam, & faces sibi admoventem, raptis è foco armis in fugam agens novo stratagemate ignes ignibus elusit. Ita ubi debellatū est, victoriam gratulati Angeli, Baltheo Virginitatis victorem exornarunt. Ille postea doctrinam virtuti socians, ita de Republ. Christiana meruit, ut inter Doctores sanctiores Princeps habeatur. Certè præclaram censuram Christus è cruce tulit illis verbis; *Bene de me scripsisti Thoma, merces tua qua erit?* Superi, quibus studiis veteres verbum illud **BENE** emendicarunt! De stipendio quid dicam? dum præter ipsum, de quo scripserat, petiit nullum, majus non potuit petere. Ad aram porrò cū fecisset, solenne habuit facienti deinde alteri pro ministro assistere, ut qui idem amant facere in pietate discipuli, illud facere se sciant, quod prior Angelicus Doctor fecit. Deniq; in unam **DEI** gloriam coniecit oculos, atque hinc à morte stellâ pectus insignis, dixit eam purâ

L 3

animi

animi intentione se meruisse. Itaque astra, in quæ collinavit, faciliè obtinuit: nos quia oculo non cælum amplissimum, sed Scopû terrâ pusillam statuimus, toto cælo erramus.

Ex Suito.

M E D I T A T I O
De S. Thoma.

1. **D**Um vixit Angelicus Doctor, sol fuit Ecclesie, & post mortem reliquit opera, quorum luminibus errorum tenebræ dispelluntur. Portentum fuit scientiæ: studuit, & scripsit solius divinæ gloriæ causâ, ideoque Christum audivit, ita sibi gratulantem: *Ecce scripsisti de me Thoma, quam mercedem accipies?* Quid respondisses tu? qui legis, & scribis, ut servias tuæ vanitati, curiositati, cupidini. Perperam studet, quisquis suis in studiis aliud quidpiam quærit, quàm voluntatem, & gloriam Dei, quàm propriam, & alienam salutem.
2. Hic sol non solum lucens, sed etiam ardens sacris ignibus, multorum animos accendit. Curramus ad fontes Salvatoris, unde S. Thomas tantum hausit amoris divini; ex iis pariter hauriemus scientiam Sanctorum, sine quâ futilis, & periculosa est alia quælibet scientia. *Nihil prodest eruditio, nisi scientia Dei coronaverit.* Hieron.
3. Sol perpetuò movetur: S. Thomas perpetuò agit. Et sanè frustra tot luminibus perfusisset, nisi allaborasset divinæ gloriæ, nisi, quæ sciebat, ad
usum

usum reduxisset, & ex iplo confirmasset, quod docebat verbo. Viri docti! ex vobis multum requirit Deus, nec leves vos manent poenae, si quos scientiam, eosdem virtute non superaveritis. Cavete, ne scientia, quam à Deo accepistis, inflat animos vestros. *In nullo gloriandum est, quando nihil est nostrum.* Cyprian.

S. PHILEMON M.

8. Martii.

*Non tardes converti ad Dominum,
& ne differas de die in diem, subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictae disperdet te. Eccl. 5.*

Dedit hodie Caelo risum PHILEMON, cum terris tantum pararet nimis doctus minus, Apollonius Christianus sacrificare Diis iussus, cum & scelus facere, & ni faceret, poenas dare metueret, auro PHILEMONEM corrumpit, jubetque ut APOLLONIUM interim induat, dum sacrificet. Ille dum APOLLONIUM, veste, vultu, gestuque mentitus omnium oculos, & quod mirare, suos adeo fallit, repente advertit non vestem modò, sed animum etiam Christianum se induisse.

L 4

induisse.

induisse. Crucis signo (ipse se miratus) ar-
 mat. Negat dæmonibus litaturum. Deni-
 que jam non agere Christianum, sed esse
 talis videtur. Nempe furere APOLLONIUM
 exclamat Præses Arianus, jubet Tibicinem
 PHILEMONEM adesse, qui mulceret insa-
 nientem. Mox re omni intellectâ cachinnû
 tollit, acclamat, plaudit, bellissimam fabu-
 lam multis laudat, nimisq; benè simulasse
 PHILEMONEM Christianam Religionem
 ait. At PHILEMON seriùs, jam foccos ex-
 uerat, & cothurnos induerat. Quare ad
 preces ejus tibiæ igne cælesti exustæ, ipse,
 cùm manus admoveat & aquam nemo au-
 deret, à cælesti manu è nube aquâ primûm
 mox sanguine suo, flagris cæsus, lustratus est.
 Inde unâ cum vero APOLLONIO trajectus
 ferro pedibus per urbem raptatus. Ultimò
 ad arboris truncum religatus & sagittis im-
 peritus est. Sed hæc omnes vel in aëre ste-
 terunt, vel in arborem exerrârunt. Vna
 etiam viam relegit, oculoq; judicis Aria-
 ni hæsit. Vidit tamen hic etiam, quam an-
 te non viderat, fidei lucem, injecto (con-
 trâ quàm fieri amat) in oculam è
 PHILEMONIS tumulto pulvere.

Ex Metaphr.

MED-

M E D I T A T I O

De conversione acceleranda.

1. **V**Ox electorum est: *Dixi nunc expi. Pl. 76.*
 non differam in crastinum emendationem
 meam, ne fortè, antequam dies crastinus illucescat,
 mihi ferale illud carmen occinatur: *Stulte hac nocte*
morièris. Nunc igitur dum tempus est acceptabile,
 & dies salutis, dum ætas floret, occasio adest, De-
 us fores cordis pulsat, cæli janua patet, nunc hac
 horâ, hoc momento cum Philemone Vocem Do-
 mini audiam, & non obdurabo cor meum.

2. Vox reproborum Corvorum est: *cras, cras,*
quæ te fortè cras occidet. Audi Aug. Serm. 16.
 de verbis Domini: *hac res est, quæ multos occidit,*
cùm dicunt cras cras, & subito ostium clauditur. Ne-
 que enim Chrysaorius crastinum diem, quem pro
 pœnitentiâ desiderabat, obtinuit. Qui pœnitenti
 veniam promisit, diem crastinum non promisit.

3. Quò diutiùs differs, eò difficiliùs emendaris.
 Si enim hodie tenellam plantam eradicare negligis,
 in quernum robur excrescet, quomodo tunc ex-
 tirpabis? *Stultè agit, qui tunc vitam vult vivere*
melioèrem, cum desinendum est vivere: & verò
pœnitentia sera rarò est seria. igitur esse bonus prope-
ra, nunquam nimium properabis, qui non est hodie, cras
minus aptus erit.

S. FRANCISCA ROM.

9. Martii.

Humiliarvit semetipsum, factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis. S. Paul. ad Philip. c. 20.

COelum non terram habitasse FRANCISCAM credo. Ita semper aut cælum cum Franciscâ, aut Francisca in cælo fuit. Ægræ Medicus D. Alexius assistit; Assisium pergens itineris comitem ipsum Franciscum habuit. Gabriel modò Inferos ei, modò Cælos monstravit. Tutelaris quoque cum Filio Evangelista nuper mortuo superveniens, Archangelum se esse prodidit: Nempè semper deinde aspectabilem habuit, invidiam Soli etiam sereno facturum. Certè ad eius vultum recitare VIRGINIS officium (& recitabat à primis annis quotidie) etiam nocte poterat; ipse concussâ solùm cæfarie (fulmina prodire videbantur) orci larvas fugabat, idem, cum perperam aliquid gustum erat, erubescere visus, imò quandoque subducere se. Semel etiam Franciscæ, quod autem profanis sermonibus, licet in vita, præbuisset, pugnum impegit, quem quidem

quidem (audaces nos!) etiam cum accersimus prætexitata verba, non metuimus. jam sub ultimos vitæ dies hic Nobiliori Angelo locum cessit. Ipsa Cæli REGINA sæpè sæpiùs aspectu suo Franciscam recreavit. Filiumque ad complexus & oscula propinavit. Hic ipse quoties decumbenti assedit, dictisque animum demulsit, vel mutus solatio futurus? quoties se cibum præbuit? quoties, ut in amantis oculis luderet, in omnes formas se mutavit, & nunc nasci iterum, agereque quæ puer egit, nunc pugnas veteres pugnare mortemque obire iterum, triumphare iterum visus est? Sed & agnū iterum induere, & lateris fonte illud Nectar fundere sitienti voluit, quod omnes olim biberemus, nisi mundi lacunas sitiremus.

Ex vita.

MEDITATIO

De Obedientia humili.

I. **S** Francisca vixit 40. annos cum suo conjugē sine ullo prorsus vel minimo dissidio, quia hoc unum volebat, quod conjux. Si quietiorem vitam velis, te præpositis tuis quasi Christo obedientem præstes, & careas ultrò propriis commodis ac licitis voluptatibus, ut in omnibus, in quibus nullum erit peccatum, totum te ad superiorum nutum,

tum, arbitriumve fingas. Tua obedientia nunquam erit sine præmio.

2. Plerumque anxio & inquieto es animo: unde hoc? Ex eo sanè, quod vel nullo modo, vel certè coactâ & repugnante voluntate obtemperes iis, quorum DEUS te subjecit imperio. Si vis esse verus obediens, propriam exue voluntatem: Res planè difficilis! sed difficultas hæc à sanctis alacriter superatur. Quàm felicem vitam duceres, si tua voluntas cum voluntate præpositorum omninò congrueret?

3. Alienum etiam à Mandatis iudicium ne habeas. Non est inferiorum, superiorum iudicare mandata, nisi clarè divinis legibus repugnare videantur. Sic Jesus subditus erat Mariæ & Josepho, ut ad utriusque arbitrium, suum ipse iudicium lubens componeret. Jesum imitare: nam, quæ tibi præscribuntur, si tui iudicii lance examinare consueveris, nec hilaris, nec facilis, nec digna mercede erit obedientia tua. *Nescit iudicare, quisquis perfectè didicit obedire.* Greg.

S. CODRATUS M.

10. Martii.

*Nolite solliciti esse anima vestra,
quid manducetis, neque corpori,
quid induamini.* Christus. Luc. c. 12.

Adeste

A Deste & aures advertite, qui Matrem,
 qui ubera matris, & sinum clamatis
 molliculi: suum etiam superis lac est. Ma-
 trem CODRATUS in cunis amisit, neque ta-
 men non molliter est educatus. Etenim nu-
 be miraculosâ implicitum Numen fovit, &
 Ambrosiâ scilicet enutrivit delicatû. O plu-
 ribus cæli hanc instillate, plures ut CODRA-
 TOS habeamus: Nimirum à cælo lactatus
 cælum sapuit, cælum spiravit CODRATUS, &
 cæli amore, etsi medicus aliorum prolonga-
 ret, suam ipse tamen vitam imò mortem
 contempsit. Ecce enim verberant crudelem
 in morem CODRATUM tortores: Aërem,
 non CODRATUM verberant. Nunc minas
 Jason Præfectus, nunc blanditias ingerit, &
 promissa. Surdus est Martyr. Raptatur cum
 sociis ad supplicii locum. Ad epulum ire si-
 bi visi sunt, atque ut scires, quanto gaudio
 imbuti; cum cantu ivère, & illo, si iudices
 vel Cælitum aures rogâsses, longè suavissi-
 mo. jam verò cum capite sunt truncati,
 gaudio demum diceres exiliisse. Terra quo-
 que applaudens eo in loco, quem sanguine
 pinxerunt, fontem reddidit, sed qui Chri-
 stianorum pro Christo mori volentium non
 pelleret, sed accenderet sitim.

Ex Surio.

MEDIT-

*De compositione voluntatis nostræ
cum Divinâ.*

1. **D**Ei providentiæ penitus te committere ; a-
mens quippe est , quisquis resistit Omni-
potenti. Ita que certus , nihil fieri contra divinam
voluntatem , ut in secundis , sic in adversis rebus
acquiesce : hac ratione & vives felix , & placebis
Deo, imò verò id si velis unum, quod vult Deus,
tuam semper facies voluntatem.

2. Deus melius novit , quæ tibi prosint , quàm
tu ipse : noxia sæpius expetis ; similis es pueris , stul-
tis , & phreneticis , quibus nec venenum , nec gla-
dii permittuntur , ne sibi mortem consciscant. Erit
aliquando tempus , cum divinæ providentiæ grates
referas , quod ratione nunc tibi ignotâ tecum agat,
& quod tibi ea deneget , quæ vehementiùs concu-
piscis. Excipe gratò , & lubenti animo , quidquid
boni , aut mali tibi acciderit , dumque res tuæ prof-
perè cadent , hujus prosperitatis indignum te fatere.
*Gratias Deo non minùs in prosperis agas , quàm in adver-
sis , & cum prospera sunt , te non meruisse fatearis.* Euch.

3. Deus tibi daturus est , quod tuæ saluti con-
ducet magis. Pater tuus est , an in dubium revocare
potes ejus amorem ? Magis te amat , quàm tu te
ipsum , utpote qui totum suum sanguinem fuderit
pro salute tua , pro quâ vel minimum laborem refu-
gis. Quotiescumq; affligeris , memento , afflictionē
tuam à Deo Patre tuo permitti : *Sicut enim semper
Deus , ita semper pater.* Euf. Emiss. S. MAR-

SS. MARTYRES ANTIOCHIAE.

II. Martii.

*Si quis te percusserit in dexteram
maxillam tuam, praebe illi & alteram.*

Christus. Matth. cap. 3:

ANno partæ salutis CCCVI. eò furor
Imp. Maximini barbarus Antiochiæ
pervasit, ut neque famem crudelem extensi
per craticulas Christiani, lentoque igne assa-
ti exsaturare, neque sitim cruentam flumi-
na jam sanguinis possent sedare. Tantum
verò abfuit, ut ad hæc exhorresceret Chri-
stiana Philosophia, ut spontè sua (Numine
utique invitante) ad mortem per præcipi-
tia, & undas ruerent, promptiores ad exci-
piendam mortem, quàm ad inferendam
tyrannus. Inter hos jure suo laudem hodie
fert Matriona (Pelagiam Ambrosius dicit)
cum filiabus geminis. Hæ Antiochiam du-
cendæ pulcherrimè se exornârunt, iterq; fœ-
minæ pede ac animo virili sunt ingressæ. Ex
itinere Mater non quidem Vitæ, sed tamen
pudori Virginum timere cœpit, non ignara,
quoties hic ludibrio tyranaïis fuisset. Et
jam

jam è geminis tyrannis plus puer Amor
 Maximino terrebat; cum Numen animos
 addidit, ut è ripâ in subjectum flumen ge-
 neroso saltu se abjicerent; Venerem in Re-
 gno suo expugnaturæ. Diu, veluti iustita-
 bundæ choreas ducerent, secundo flumine
 descenderunt, tandem haustas inter preces
 vortex placidè recepit: imò ut favere Nym-
 phis nostris scires, vestibus suis quàm de-
 centissimè tectas ad litus exposuerunt, cum
 litus æternū meliusq; dudū animæ tenerent.

Ex Ambros. & Euseb. Chron.

MEDITATIO

De triplici gradu patientiæ.

1. **P**rimum patientiæ gradum tenes, si congruè
 divinæ voluntati animo patiaris, quidquid ti-
 bi acciderit mali à Deo, ab hominibus, à te ipso.
 Itane pateris? S. Job acerbissimam rerum vicissi-
 tudinem tulit, hæc sola repetens verba: *Dominus*
dedit, Dominus abstulit. Sit nomen Domini Benedictum.
 Meditare auream hanc sententiam, & in afflictio-
 nibus tuis eam usurpa: ne te dedas lamentis, solli-
 citudinibus, murmurationibus: sed constanti pati-
 entiâ fatiga, & vince inimicorum tuorum maligni-
 tatem. *Fatigetur improbitas patientiâ tuâ.* Tertull.

2. Secundum gradum adeptus est, qui sitit labo-
 res, & nullam prætermittit patiendi occasionem.

Sic

Sic alteram alapam, & martyrium ipsum hi sancti Martyres, sic tolerantiam tot pœnitentes expetiverunt. Num verum est, hoc unum te laborare, ut nihil labores? Cælum tamen cogitas: cave, tibi ipsi blandiris. Viâ duntaxat S. Crucis itur ad patriam; si enim alia fuisset brevior, ac mitior, eam utique docuisset Christus.

3. Tertium deniq; attingit patientiæ gradum, qui lætus & alacer labores patitur. In afflictionibus, ac persecutionibus lætabantur Apostoli, & ibant gaudentes, cùm digni habiti fuerant pro Christo aliquam contumeliam pati. Gaudete (inquit ipse Christus) si vos oderit mundus, quia me prius odio habuit. Acceptius & gratius Deo nihil est hilari Christianorum patientiâ. *Pulchrum spectaculum Deo, cùm Christianus cum dolore congregitur.* Minut.

S. GREGORIUS MAGN:

12. Martii.

Qui autem fecerit, & docuerit, hic magnus vocabitur in Regno calorū.

Christus, Matth. cap. 5.

ULtrò mendicabulis jacuæ paterent, si latitantem in iis CHRISTVM vel Angelum cerneremus, Tales hospites GREGORIUS habuit, & ob eam pietatem summum Pontificatum tulit. Ad hunc evectus inter

M

primas

primas curas habuit medicinam gregi suo
 querere, quem pestilentia totâ passim Italiâ,
 sed Romæ potissimum lacerabat. Placuit,
 mortem tam atrociter grassante, ad **MATREM**
VIVENTIUM confugere. Hujus proinde effi-
 giem cum tota urbe supplicabundus circû-
 tulisset, Angelum vidit, qui iratum jam diu
 capitibus ensen vaginæ redderet; & aërem
 noxium purgari vel inde animadvertit,
 quod in eo cælestes voces gratantes **CÆLI**
REGINÆ de morte victoriam audiit. Ita
 servatis domi civibus, foris etiam Christia-
 num Imperium amplificavit, adjecto An-
 glorum Regno. Libros deinde lucubrare est
 aggressus, qui etiam hodie Doctorem suum
 Spiritum S. probant, quem quidem specie
 columbæ obvolitantem capiti ejus non unus
 vidit. Sed & ad preces illius Angelorum pa-
 nis in carnem abiit, & hæsitanti faminz fi-
 dem mysteriorum fecit. Tale columen Chri-
 stiani orbis subruere tamen Mauritius Imp.
 cogitavit. Sed mox impiæ mortis consilium
 morte ipse non unâ luit, toties mortuus pri-
 usquâ moreretur, quot sub securi filios vidit
 mori. Ipse idem fatum cum conjugè con-
 tra omnium parentum vota ultimus subiit.
GREGORIUM verò mortuum ferunt Anno
 DC.

DC. IV. sed rectius vivere illum etiamnum,
& immortalem vivere in suis libris dicemus.

Ex Surio

MEDITATIO

In vitam S. Gregorii Magni.

1. **M**agna fecit Gregorius: abdicatis terrarum bonis, Religiosum ordinem ingressus est; Romae savientem pestem precibus suis cohibuit; misit in Angliam præcones Evangelii. Multa præscripsit ad commune bonum Ecclesie. Tu abstinuisti aliquam voluptatem? An peccatorum quempiam ad meliorem vitam revocasti? Utinam tu ipse ad frugem rediisses; inde tamen auspiciari necesse est.

2. Magnus fuit scientiam, ut patet ex ejus lucubrationibus, quæ redundant doctrinam planè caelestis; nec mirum, siquidem sæpè columbarum specie visus est Spiritus sanctus ejus auribus insusurrans, quæ scibere debebat. Si minus libros possis componere, ut S. Gregorius, potes eos legere, & ex his haurire scientiam salutis; potes tuos docere fidei mysteria, ægris adesse, afflictos solari: idne præstas?

3. Summus ille Pontifex nusquam major visus est, quam in doloribus & humiliationibus. Cum admirabili patientiam acriorem articulorum morbum passus est, laudari volebat, servus servorum Dei voluit appellari, pascebat pauperes. Pontificiam dignitatem diu recusavit. Num ille magnus, qui mundi sublimiora nihili facit? meminervis, veram

M 2

Christia

Christiani magnitudinem esse, magna facere, & parvum se reputare. *Magna & rara virtus est, ut magna licet operantem, magnum te nescias.* Bernard.

S. EUPHRASIA.

13. Martii.

Cum autem jejunatis, nolite fieri sicut hypocrita tristes, exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus jejunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam. Christus. Matth. 6.

Non facile ulla alia Virgo splendorem generis sui, ut EUPHRASIA, novit aestimare; quippe quæ alios, quantumvis nobiles thoros alto animo despexit omnes, unum CHRISTI ambitiosa expetiit. Fortè in hunc fixum cruci oculos defixerat; cum ut amor facile omnia sibi fringit, quæ arri- dent, passis brachiis amplexum offerri sibi interpretata, illicò in crucem involavit, & Amarum complexa etiam ipsa, æternum illi suos amores devovit; quin mox futurarum nuptiarum flammeum inter sacras Virgines accep-

accepit. Interea litteræ adsunt à Theodosio Imp. quem sanguine contingebat. Is quòd quinquennem Ordinis Senatorii Principi viro desponderat, jubebat nunc in ejus manus venire **EUPHRASIAM**. Sed pulchrè illa se jam in alterius manus venisse rescripsit, nec ex re sua, nec verò ex familiæ dignitate fore, immortalis Sponso mortalem antepone. Itaque jam liberè Amori suo vacans, sub dio cibi suiq; aliquando in trigésimum diem, sæpiùs in septimum oblita, ab Inferno rivali in puteù præcepta acta, ferventi perfusa oleo, aliq; perpeffa, cùm satis jam Sponso se probasset, ad nuptias est evocata. illas splendidissimè adornari vidit in celo, quæ asceterio Magistra præerat, còque abductam **EUPHRASIAM** à Sponsi **MATRE** corollâ nuptiali & dote in singulas virtutes donari. Quis jam dubitet pulchram **EUPHRASIAM** fuisse, quam tanto studio Matrum longè pulcherrima multò pulcherrimo Filio conciliabat. *Ex Surio.*

MEDITATIO

De Jejunio.

1. **S** **EUPHRASIAE** vita perpetuum fuit, & quidem rigidissimum jejunium, Christus, & sancti

Et omnes jejunârunt. Debes, quantū tibi per vires licet, eos imitari, ut perceptam in cibo ac in potu immoderatam voluptatem luas. An delicatior es puellâ annorum 13. quæ hac ætate pœnitentiam exorsa est? Non te deficiunt vires, sed voluntas.

2. Jejunare debes, ne caro pugnet adversus spiritum. Quò magis deficit corpus, hoc virtus crescit magis. Scito, tuam tibi carnem esse infensissimam. & durius, quàm par sit, vix haberi posse. Si Sancti, qui corpus suum castigârunt jejuniis, ciliciis, verberibus, hanc tamen carnis rebellionē experti sunt, quid tu? qui adedò illi indulges?

3. Si propter affectam valetudinem, inediam sustinere minimè possis, potes oculos ac linguam cohibere; hæc abstinentia non nocet sanitati, sanctitati verò plurimum confert. Prò stupor! infantes ac Sancti atrocius in sua sæviunt corpora; nos verò fontes atque peccatores pœnitentiæ nomine nihil pati volumus. *Medicinam, quam invadunt sani, discant quarere vulnerati, & bona etiam parva lugentibus, ingentia ipsi mala lugere consuecans.* Euseb. Emiff.

S. PETRUS ABBAS.

14 Martii.

*Populus hic labiis me honorat,
cor autem eorum longè est à me.*

Christus. Matth. 51

Quàm

QVam Alites beati familiares **PETRO**,
 & **PETRVS** vicissim illis fuerit, ex iis,
 quæ narrabimus, perspicias. Tyro in Reli-
 giosa Claræ Vallis disciplina cum esset, ob-
 dormiscens, inter preces Matutinas, latus
 vellicavit Ales unus aliquis ex illis, de qui-
 bus diximus, gratissimus **PETRO** monitor.
 Aliàs cum avocante capitis dolore à sociis
 abiturum è templo pararet, illa repentè ver-
 ba à Cœli choraulis cani audivit, **LAUDANS**
INVOCABO DEVM, atque his voculis deli-
 nitus facilè dolorem oblitus est, perrexitq;
 etiam ipse cœptas preces decantare, etsi in-
 ter Olores illos non malè Anserem se puta-
 ret. Illud amœnissimum spectaculum oculis
PETRI accidit, videre, cum messis tem-
 pore labori cum suis Intentus esset, Virgi-
 num Reginam **MARIAM** geminâ cum aliâ
 Mariâ (è Solymis altera, altera ex **Ægypto**
 erat) per segetes ambulare, sociisque & la-
 borantibus solamen addere, & fatigatis su-
 dorem abstergere illâ manu, quâ, cum lu-
 bet, nubes abstergit, & cœlum serenat.
 Certè tanti esse **PETRVS** credidit **VIRGI-**
NEM vidisse, ut, cum ex ægritudine alterû
 deinde oculorum amisisset, minimè agrè
 hoc ferret, memor, in quali oculo oculum

M 4

suum

sum abscondisset. Imò gratulatus sibi lucus est, è duobus hostibus (sic enim ille oculos indigitabat) unum saltem amisisse. Lubens igitur etiam alterum beatâ morte clausit. *Ex Petro de Natal.*

M E D I T A T I O

De triplici bono Orationis.

1. **Q**uam gloriosam sit in oratione cum DEO colloqui, nemo novit, nisi qui divinam noverit Majestatem. Si uni duntaxat homini orandi copiam fecisset Deus, ipsiq; promississet, daturum se, quidquid ab ipso rogaretur; omnes profectò ad eum hominem accurrerent, ut ejus precibus alii alia impetrarent. Jam autem orare, cuiq;, ubiq;, & semper licet: ad hæc Dominus pollicitus est, se facturum omnium postulata; & nolumus postulare! & hanc Deo loquendi gloriam negligimus! *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis & cinis.*

2. Oratio est veluti clavis Thesaurorum Dei: ejus operâ tum naturæ, tum gratiæ bonis cumulamur. Deus in gratiam orationis pleraque prodigia facit. Experire, quid possit: Ad Deum sicut ad Patrem tuum confuge, sed humiliter quidem ut pauper, qui probè sentit suam paupertatem, & indignum se reputat, cui aliquid concedatur: si quid obtinueris, illud acceptum refer Bonitati & meritis Christi. *Ascendit oratio, descendit miseratio. Aug.*

3. Nihil dulcius, quam orationis tempore Deo fami-

familiariter uti; tunc Deus cognoscitur perfectiùs; & ardentius amatur. Et hæc cognitio, & hic amor comprehensorum perfecta felicitas est; viatorum autem inchoata. Te ipsum testor, num lacrimæ, quas peccatorum dolor elicit in oratione, suaviores sint, quàm quæ tuis verbis possint explicari?

S. LONGINUS.

15 Martii.

Centurio autem, & qui cum eo erant custodientes JESVM, viso terra motu, & ijs qua fiebant, timuerunt valde, dicentes: verè filius Dei erat iste. Matth. cap. 27.

LONGINUM ajunt Centurionem ejus cohortis fuisse, quæ Servatori & è cruce pendenti & tumulo condito custodiæ causâ tuit addita; Eundem lanceâ latus hausisse sacratissimum, geminosque amoris fontes sanguinis & aquæ nobis dedisse, auctori etiam suo salutare, quippe cujus oculis medicinam fecisse liquor illapsus memoratur. Id certè nemo negaverit, tot miraculorum spectatori mentis oculos apertos esse, &

M s

cum

cum facinus jam suum ac judæorū videret, pectus planxisset, & testimonium divinitatis Crucifixo dedisset. Id cum & tunc & in publico post concilio fecisset, odiumq; ingens sibi conflasset, Cappadociam gemino cum comite petiit. Sed & invidia comes ivit judæorum, & missi à Pilato, qui caput LONGINI referrent. In hos dum fortè offendit, ipse cognitos incognitus domo excipit, habetq; perliberaliter. Postridie LONGINUS LONGINUM prodit, mirante, & tesseram hospitii frangere ipso hoste renuente. Sed animos addit LONGINUS, jamq; Martyrum purpuram ambiens, vestes candidas induit, animamq; cælo, caput Pilato dat ferendū. Hic nobile spoliū in fœtū abjecit; Prodidit tamen iterum se Divus, &, ut sepulchro caput cum filii cadavere conderet, matronam oculis destitutam monuit. Itaque tantum thesaurum reperit cæca. Sed & oculos unà reperit.

Ex Metaph. & vita Christi Germ.

M E D I T A T I O

De vulneribus Jesu Christi.

- i. **U**T JESUM redames, aspice vulnera manuum, pedum, ac lateris ejus, An possem te

NON

deret, non amare, suavissime Jesu, cum tam acerba mea
 itatis causa tuleris! Sanguinem fudisti, ut ex faucibus
 n pu tartari eriperes me, & omnia passionis tuae merita
 agens mihi ultrò concessisti. Per sacrum lateris vulnus,
 cum sive cor Jesu, anime mi, ipsi loquere, & tibi vi-
 ivit cissim loquenti aurem præbe. *Per foramina corporis*
 LON. *patent mihi arcana cordis.* Aug.

2. An desperationis spiritu tentaris propter sce-
 lera, gehennæ timorem, aut salutis difficultatem?
 Au superbiæ? an libidinis? quacumque demum
 vexeris tentatione, fuge in apertum Jesu latus,
 Sed ipsumque Jesum audies dicentem tibi: Qui fieri
 rum posset, fili, ut mortem tuam vellem ego, qui pro
 iuit, te mortuus sum? hoc unum volo, finem ponas
 ndū. peccatis tuis: nam si ex me tot cruciatus expetierit
 Pro- Pater meus ob peccatum Adæ, quid ex te?

3. An opprobriis, mœrore, doloribus afflictaris
 ris sic, ut nec habeas quidem, qui te consoletur?
 Advolâ in latus Salvatoris, en! Asylum! en! refu-
 gium tuum, ibi consolatorem, amicum, protecto-
 rem invenies. Vide quid pro te passus sit Christus.
 Tuos illi dolores expone, illumque audi suos ex-
 ponentem. Ejus extenduntur brachia ad amplexum,
 patet cor ad perfugium. *Opera manuum tuarum Do-*
 mine *ne despicias, vulnera manuum tuarum, precor, ut*
aspicias. August.

S. ABR.]

40) 100.)0*

S. ABRAMIUS EREMITA.

16 Martii.

*Qui converti fecerit peccatorem
ab errore via sua, salvabit ani-
mam ejus à morte, & operiet
multitudinem peccatorũ.* Iacob. 5.

ABRAMIUS nobili loco natus, ipso fe-
sto nuptiarum suarum die, cum do-
mum sponsa ducenda esset, damnato thala-
mo, & sponsæ & mundo se subducens, in
loca sola aufugit. Inde sacris initiatus, esse
ram gentem longâ patientiâ & supra quàm
credi potest, magno labore Christo subegit.
Sub hæc Maria Neptis ex fratre, quam ille
à teneris, moribus optimis ac summâ pie-
tate imbuerat, cum semel lapsa esset, per
omnia denique vitia voluta; ex Eremo de-
mum in mundum (hoc est ex cælo in or-
cum) præceps ivit. Iam publica infamia &
scopulus audiebat Castitatis, cum ostento
divinitus objecto ABRAMIUS Draconem
vidit immansi rictu columbam incautam de-
glutire, qui tamen mox medius ruptus aëri
&

liberati pavidam redderet. Hoc viso ani-
 matus, cum & fugam lapsæ & reditum re-
 spicientis non malus vates ominatus esset;
 ingenium ecce exerit, & id ætatis senex mi-
 stem induit, atque urbem petit. Hic, qui L.
 plos annos vinum nec libaverat, conviviũ
 nstruit, mensæ neptem adhibet, quæque
 ad hilaritatem faciunt, omnia facit pius au-
 ceptis. Mox tamen captatâ in tempore occa-
 sione; quis sit aperit, cur venerit, exponit.
 Tum verò verbis DEO plenis aggreditur, &
 primò mirari, deinde nutare, tum cedere,
 nemum manus dare Mariam cogit: quid
 multis? ad columbaria Eremiti reducit. Quid
 tibi, ais, Columba capta? nempe gemuit.

Ex vita. PP.

MEDITATIO

De pretio animæ nostræ.

DEus creavit animam nostram ad imaginem
 & similitudinem suam, immortalem illam
 quidem, ac præstantiorem cæteris rebus creatis,
 quibus nempe eam voluit dominari, donec corpo-
 re exuta ad cælos volaret. Agnosce, ô homo, ani-
 mæ tuæ dignitatem, ipsi labora, aspernare corpus,
 & omnia terræ bona; ea quippe prætereunt, &
 longè absunt à præstantiâ animæ tuæ. Quid agis,
 miser? ut servias corpori, perdis animam tuam.

Miserere anima tua placens Deo,

2. Pro omnibus mortuus est Christus ; imò
 (quæ ejus bonitas est) pro solâ tui ipsius animâ
 totum suum sanguinem ultrò profudisset. Anima
 mea pretio suo adæquat sanguinem Christi, quan-
 doquidem effusus est in ejus redemptionem. Quid
 ergò leviozem propter delectationem dæmoni tra-
 do animam, Dei sanguine redemptam ? An dæ-
 mon dedit aliquid in ejus redemptionem ? An
 vult ? An potest eam verâ ac perpetuâ beatitudine
 donare ? Demus animam nostram amantissimo
 Jesu, qui eam redemit, ut beatam efficiat.

3. Ex his duobus punctis hæc duo inferas o-
 portet. 1. Citiùs rerum omnium jacturam faciendam
 esse, quàm animæ. Divitiæ, honores, voluptates,
 valetudo nihil sunt ad animam. 2. Nihil esse Deo
 gloriosius, nihil gratius Christo, quàm conversio-
 nem animarum, pro quibus sanguinem dedit, quem
 sanè in labentis orbis firmamentum denegâisset.
*Sanguinem fudit unicus Dei filius, erige te ô anima,
 tanti vales.* Augustin.

S. GERTRUDIS Virgo.

17. Martii.

*Fugum meum suave est, Et onus
 meum leve.* Christus. Matth. cap. II.

GERTRUDEM quoque ob sanguinem,
 quem nobilissimum inter Gallos habe-
 bat,

bat, sanctè superbam vidisses. Quare, cùm
 cam Juvenis (è Principe & ipse familiâ) spon-
 sam sibi à parente Pipino peteret, iptumque
 adeò Regem Dagobertum, qui tum fortè
 epulo hospes aderat, oratorem haberet;
 contempsit tamen mortalē Sponsam GER-
 TRUDIS, & jurejurando palàm firmavit,
 non nisi immortalī nupturam se, nec aliā
 dotem præter cœlum admissuram. In has
 deinde leges à morte Pipini Virginem D. A-
 mandus Christo despondit. Mox cœli pro-
 digia castissimam sponsam honorârunt. Nam
 precantem ignes, & è cœlo delapsa sphæra
 visa est coronare; & ejus ope servati Nautæ
 à mortis periculo, quod immanis cetus
 jamjam minabatur. Sed vel nomen GER-
 TRUDIS pro scuto fuit, merisitque subitò,
 quod navim jam mergere videbatur, mon-
 strum, jam diem ultimum, quem quidem
 ut nuptialem GERTRUDIS amavit, MO-
 nachus illi prædixit Ultanus, comitatum è
 cœlo D. Patritium, & beatos Angelos spo-
 pondit. Virtutis odorem etiam à morte
 tumba, quam longè antè fieri ipsa manda-
 verat, suavissimum spiravit. Ipsa, ne vivere
 etiam mortuam dubitates, diversorum ocu-
 lis se objecit cœlesti luce circumfusa. Visa
 etiam

etiam ignes grassantes à monasterio, illo
velo avertere, quo imparas olim flammam
suffocaverat. Tam facile etiam indomitum
Vulcanum est vincere illi, qui Venerem vincit.

Ex Surio,

MEDITATIO

De suavitate divini obsequij.

1. **F**acilius est, quam creditur, Deo servire;
mandata ejus gravia non sunt. Considera sin-
gula Dei mandata, & cognosces quam leve, quam
jucundum sit onus, quod nobis imposuit. Quæ-
cumque præscripsit, rationi omnino consentanea
sunt, ac nostræ conducunt utilitati. Morem gerimus
principibus terræ, Mundo, cupiditatibus, aut
impossibilia, aut iniqua, aut nocentia petentibus, &
abjicimus suavissimum Christi jugum, ad quod fe-
rendum nos etiam adjuvat ipse Christus. *Non est
durus, nec grave, quod ille imperat, qui adjuvat,
ut fiat, quod imperat.* August.

2. Ad serviendum Deo plura nobis suppetunt
auxilia, gratiæ plures, plura incitamenta; & si qua
sit amaritudo in observatione mandatorum ejus; tot
consolationibus, tot deliciis cœlestibus temperatur,
ut plerumq; evanescat. Ad hæc exempla Sanctorum,
quorum vitam legimus, vel quorum etiamnum mi-
ramur sanctitatem, faciliorem reddunt usum virtutis.

3. Spe mercedis omnis minuitur labor; hac spe
illectus opifex, lubenter & acriter laborat; adit
miles

miles discrimen vitæ, & mercator naufragium non
timet, Merces, quæ me manet certissima est, eam
mihi Deus promittit; fidelis est, non me fallit; & hæc
merces erit sempiterna. Quàm ergo, quàm leves
sunt labores nostri ad tantam mercedem!

S. CYRILLUS EPIS.

18. Martii.

*Beati misericordes, quoniam ipsi
misericordiam consequentur.*

Christus. Matth. 5.

Quò Zelosius pro Ecclesia Hierosolymi-
tana excubabat CYRILLUS, eò damno-
sius eam subvertere moliebatur juratissimus
religionis Christianæ osor Julianus, Apostata
notâ infamis. Hic ut Christi dogmata
tolleret; subdolè statuit ludæorum ritus unâ
cum templo resuscitare. Irritos licet cona-
tus vaticinatus sit CYRILLUS, nihil tamen
his motus Apostata, vel reluctantæ Numine
urgebat opus. Sed Prophetam fidelem in-
venit CYRILLUM: nam repetitis terræ mo-
tibus concussa nova moles, in lapidum cha-
os corruit; ex cuius ruinis major surrexit
Christianorum Ecclesia. Porro sollicitus

N

erat

erat pauperum æconomus, quidquid con-
quisivit, liberalissimè in egenos profudit
CYRILLUS; & sui & templi ornatum negle-
xit, quin & vendidit, ut viva Spiritus san-
cti templa, pauperes restauraret. Hoc unū
panolum in eo criminati sunt Arriani, ei
Pontificatum invidentes, quod dicerent:
sacrā Ecclesia supellectilē vendidit, ut pauperes sustentaret.

MEDITATIO

De commiseratione.

1. **C**ommoverti debes miseriis proximi tui, sive
morbo crucietur, sive laboret egestate, &
ita debes commoveri, ut non sterilem quidem, sed
efficacem habeas eum juvandi voluntatem. Quot
omittis occasiones miseris benignè faciendi? Nul-
lā re ad Deum magis accedimus, quā misericor-
diā in pauperes. Si nolis, aut nequeas opem iis
ferre, ora Deum, ut ipse ferat, & ipsi gratias habe,
quod malis, quibus premuntur, te liberaverit. Ni-
hil tam divinum homo habet: quā de aliis benè mere-
ri: *fac calamitose sis Deus, Dei misericordiam imitando.*
Greg. Naz.

2. Misereatur te hominum peccatorum: Divites
quamvis & felices videantur, profectò sunt digni-
ores commiseratione, quā invidiā; & hoc magis
miseriam eorum lugere debes, quod se miseros mi-
nùs sciant, minùsq; remedium curent. Eos mone,
si ex officio debeas, aut prudenter possis, in quo
periculo

periculo versetur eorum anima: pro illis Deum ora: Amove eos ab occasionibus peccandi, adhibitis amicis, authoritate, divitiis. *Noli visa hujus felicitatē pravis hominibus invidere, sed condole.* Dami:

3. Num tu ipse dignus es, cujus alios misereat, tum propter afflictiones tuas, tum propter peccata tua? si propter afflictiones tuas, patiens esto; Christus, & sancti omnes vixerunt in laboribus, doloribus, lachrimis; si propter peccata, miserere tui ipsius, & sana quamprimū vulnera animæ tuæ.

S. JOSEPH.

19. Martii.

Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, iis contenti sumus.

Paulus Ep. 1 ad Tim. cap. 6.

Compendium laudum IOSEPHI dedero, si convixisse IESU & MARIAE dixerō: huic Sponsū integerrimū, illi Nutritorem sedulū. Arcanorum ergō conscius omnium, multa gavisus est gaudia, multa dolenda doluit. Vtraque VII. fuisse, binis è D. Francisci coetu ipse voluit manifestum. Et gaudio quidem primus omnium delinivit animum Nuntius, quo non nisi DEO plenam Mariam intellexerat: tum de-

N 2

inde

inde aures recreârunt ad cunas Magni Infantis choraulæ nobiles ; Sed longè demulfit suavius Nomen quod ipse indidit , dulcissimum. Iam vaticinia Simeonis , quæ Servatorem Puerum ; dejecta in Ægypto simulachra Dæmonum , quæ DEVM loquebantur , & Angelus , qui in patriam exules revocabat , aliis atq; aliis gaudiis cumulârant. Illud demum delitiis inundavit , cùm , quod charissimum habuit pignus , amissum reperit. Et hæc gaudiorum materia ; illa dolorum fuère : tristis primò , quem à Virgine parabat , secessus ; tum pauperes cunæ & prima , quæ imbris prælusit , sanguinis pluvia ; mox gladius Simeonis cor sponsæ , non nisi per præcordia Sponsi petiturus ; post fuga præpropera & Archelai tyrannis ; demum amissa in uno puero bona omnia ; hæc inquam , tot mæroris argumenta , quot ante lætitiæ dubiam utrinque victoriam fecerunt. Ego , si fas sit , octavum & dolorem & gaudium addidero , mortem inter IESV & MARIÆ amplexus. Quid enim acerbius , quàm hos ex oculis dimittere ? quid dulcius , quàm ab his oculos claudi ?

hæc *Ex lib. 3. Carthagens.*

MEDIT

209. (O*)
MEDITATIO
In vitam S. Josephi.

1. S. Josephus **MARIÆ** sponsus fuit, haud dubie
singularem propter puritatem. Quam glorio-
sum tibi, Vir sanctissime Sponsam habere, in cœ-
lis & in terris Omnipotentem, ac tuæ voluntati ap-
primè consentientem. Esto castus, humilis, &
modestus, ut S. Josephus, & adamabit te **MARIA**.
Ad sanctitatis apicem brevi perveniet, qui Sanctū
hunc imitatus, **DEVM** præsentem, ac singula vi-
dentem semper cogitaverit.

2. Josephus fuit **JESU** nutritius parens, & ipse **JESUS**
erat subditus illi: Vide humilitatem Salvatoris, qui,
eum in Augusti, aut Herodis Regiâ nasci potuisset,
pauperem & incognitum sibi voluit patrem, qui
quotidiano sudore victum & vestitum ipsi procura-
ret. Exemplo sancti Josephi nunquam separeris à
Christo, cum testem habeas omnium actuum tu-
arum, & cum eo sæpius colloquaris, fac (ut ait
Aug) *locum Christo cum filiis tuis, accedat familia
tua Dominus tuus, accedat ad prolem creator tuus.* Hæc
si feceris pauperi, **Christo** fecisti.

3. S. Josephus inter beatos **JESU** & **MARIÆ** am-
plexus expiravit. Piam ac sanctam mortem cupis,
huc cogitationes, huc actiones tuæ referantur: co-
le, invoca S. Josephum; affirmat quippe S. The-
resia, se nihil non impetrâsse meritis S. Josephi.
Semper in ore habeas, sed præsertim instante mor-
te, pulcherrima & suavissima nomina **JESU**, **MARIÆ**,
Josephi.

N 3

S. JOA

20] 210. [0*

S. JOACHIM.

20 Martii.

Quicumq; enim Spiritu Dei aguntur, ij sunt filij Dei. Paulus. Rom. 8.

JOACHIMVS è Regia Davidis stirpe affem
J suum trifariam divisit. Partem templo sa-
cram, alteram egenis & peregrinis commu-
nem, ultimam sibi & familiæ voluit reli-
quam, testamento, quod vel cælum proba-
vit. Nam cum in ipsam senectam usque si-
ne hærede vixisset (probro id ætatis ac loci
tanto, ut cum sacrificio suo etiam repulsam
ab ara tulerit) precibus suis apud Numen
hoc questus, candidissimum nuntium certæ
prolis accepit. Et verò spem ipse etiam rei
eventus longè maximè superavit. Nata enim
MARIA, & cum **MARIA** renatus orbis est.
En pensavit profectò partus tam ferus, quid-
quid morarum traxerat; potuit ignosci tem-
pori tam magna parturienti, potuit **IOA-
CHIMVS** hac una filiâ beatus ridere popu-
los alios filiorum. Proinde officium Patris
facturus, cælo Filiam, cui debebat, vix tri-
mulam dicat, & templo jam tum Ancillam
sacrat, nullam cum hoc sacrificio repulsam
ab

ab ara extimescens. Ipse certus de Servatore
 sinum Abrahæ petit, inde paucis post annis
 triumphantem CHRISTVM ovans sequitur
 in cæli arces. Ibi ille olim sterilis senex, o-
 mnium parentum gloriam nunc exæquat.
 Summa est ejus, genuisse talem filiam, quæ
 talem illi nepotem peperit. Ex S. Ioan. Damasc.
 l. 4. de Fide Orth. & orat. de Nat. Mariæ.

MEDITATIO

De filiis adoptivis Dei.

1. Naturâ unus Christus filius est Dei, Chri-
 stiani verò omnes adoptione & gratiâ. Pa-
 ter est Deus, Jesus frater, cælum hæreditas. Sur-
 sum anime mi! ad maxima & suprema natus, ab
 infimis & minimis abhorreas. Filius & Hæres Dei
 non inescari debet terrenis divitijs, nec dolofo &
 vano dignitatum splendore decipi. Ego verò terram
 calcare didici, non adorare. Clem. Alex.

2. Ut verè nomineris, & sis filius Dei, necesse
 est, ut in actionibus tuis agaris Dei Spiritu. Deus
 gloriam suam semper quærit, tu quoque eandem
 Patris tui gloriam semper quærere debes: degene-
 ras, si animum deprimas ad humiliora. Vide, cui
 labores; si hominibus, operam ludis, illi enim aut
 nolunt, aut nequeunt, dignam laboribus tuis dare
 mercedem. Benè & laudabiliter factum compensare
 mundus nec ingratus solet, nec gratus potest. Thom.
 Mor.

3. Quisquis agitur Dei Spiritu, fidenter procuranda divinae gloriae allaborat; nec favens iudicium hominum quaerit, nec timet adversum: sufficit illi, si Deus remunerator eum videat. Nusquam & nunquam ab officio suo discedit, quia ubique & semper Deus eum videt. Si ejus suscepta coram hominibus male ceciderint, non movetur, certus, Deum ejus voluntatem & intentionem cognoscere.

S. BENEDICTUS.

21. Martij.

Beati sunt servi illi, quos cum venerit Dominus, invenerit, vigilantes.

Christus. Luc. cap. 12.

BENEDICTVS puer ludum cum eremo mutavit, satis jam magnus Philosophus, qui terrena contemnere didicerat. Ibi multo post malus Orci pullus merulam mentitus, ingens sub animo libidinis incendium excitavit: sed ille nudus in spinas abjectus sanguine id extinxit; ut, quando Poetae rosas olim omnes candidas voluit fuisse; ex his spinis primum credam erubuisse. Secundum haec cum socios legeret, multa admiratione digna fecit, multa passus est: illud lepidum etiam memoratu: Discipulum, qui

à divinis ante finem subducere se amabat,
 attentioribus oculis arbitratus, vidit à Sty-
 gii coloris Nano vestis orâ prehensū è tem-
 plo trahi. Castigavit virgis vagum, & ecce
 parvulus etiam ille è Styge Maurus tergum,
 ne virgis daret, fugæ dedit. At BENEDI-
 CTVS castra sanctissima in monte Cassina-
 te locavit: illic everso Apollinis fano, post-
 quam veriora cum aliis multis, tum Toti-
 læ imprimis oracula dedisset, famâ, & disci-
 pulis orbem implevisset, sibi etiam denique
 vates sepulchrum parari iussit, & inter su-
 orum manus, ut Ducem decebat, stans op-
 petit. Mox duo Magistrum carpere vide-
 runt in caelos viam, amplam illam & veste
 pulcherrima stratam, multisque luminibus
 coruscantem. Eam tunc nescio quis Coelitum
 viam BENEDICTI; D. Bernardus illius le-
 ges dixit: ut jam mirum non sit, si eandem
 tot Pontifices, & Reges calcarunt. Nam
 viam ad coelum expeditam & jucundam
 quærebant, vel Mundo Doctore.

EX S. Greg, M.

MEDITATIO

De vitâ, & morte S. Benedicti.

1. **U**T primùm Benedictus mundi vanitatem
 intellexit, mundum desepxit, & fugit in so-
 litudi-

N 5

litudinem, ubi assiduis laboribus, & mortificationibus corpus suum maceravit: Tu verò à tanto tempore nòsti vanitatem mundi, & pericula, quæ in eo reperiuntur, mundum tamen amas; non te fugit, nullius esse fidei, ipsi tamen fidis! Alios mundus fictis fefellit bonis, nunc verò ab iis damnatur, à quibus olim colebatur. Quid ergò eum non deseris? *Vix hoc habet mundus us. fallat: solidis bonis carebat, ecce! deficit etiam caducis.* Eucher.

2. Benedictus mundum aspernatus est, & à mundo nunc honoratur. Reges, Principes, & homines innumeri cum conveniunt, ut precibus ejus commendent sese, ejusque Sanctam vivendi rationem imitentur. Si mundum dilexeris, te despiciet, si despexeris, te diliget. Tempus remunerandi videtur Deo longius & tardius, nam etiamnum certantes gestit coronare. *Quàm mihi tardum est, divina Benignitas, sanctos tuos imposterù glorificari.* Eul. Emil.

3. Mundi victor Benedictus tandem è mundo discedit, moritur in templo, stans in mediis fratribus suis, quibus moris suæ horam prædixerat. An tibi revelatum est, quomodo & quando morieris? Religiosi Ordinis sancti Benedicti sunt filii, & corona sancti hujus fundatoris; tua item opera sunt filii tui, qui te post mortem sequentur, teque vel accusabunt, vel defendent coram Domino.

215. (030)
S. CATHARINA
SVECA.

21. Martii.

Plorabitis, & flebitis vos; mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini: sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Ioan 16.

INfans CATHARINA respuit impurarum Nutricum ubera, castarum ambiit, Veneris jam in cunis hostis. Puella pupas tractavit; sed, cum pupas induti daemones verberarent dormientem; etiam has sibi Venerem iussit habere. Viro Nupta dotem Virginitatem attulit, & Arrham Virginitatem vicissim ab ipso accepit; quæ ut tuta in thalamo etiam dormiret, humi hunc stravit, vilibusque panniculis, licet è Principe familia esset, involvit. Quæ virtus ita cæli Reginam cepit, ut vultu blandissimo CATHARINAM intueri sit visa, at torvis oculis Socrum, quod vestium luxum hæc amaret. Interim centonibus CATHARINÆ DEVS purpuræ splendorem non semel addidit. Romæ cum ageret, pudicitiae custodia

dema

dem B. Sebastianum sibi legit, opemq; sepius eius presentem sensit. Gravius nihil aggressa est vel facere ipsa vel alteri suadere, quam Virginem Angeli verbis salutasset. Castigavit tamen Mater Magnam clientem suam, cum præter Brigittæ Matris & virorum Religiosorum voluntatem patriam cogitaret. Visa est enim sibi CATHARINA inter Mundi laborantis incendia, frustra opem à Virgine rogare, ni Majorum voluntati pareret, & patriam cælo posthaberet. Mortua est pridie virginis Annunciatæ, cum plures annos quotidie animum confessione expiasset. Funus Ericus Rex suis humeris extulit. Cælum stellam legavit, quæ funus comitaretur. Miraris nobiles funeris curatores?

Nobiliores anima habuit Angelos.

Ex Surio.

MEDITATIO

De Passione Iesu Christi.

I. **C**ontemplare JESUM cruci affixum, vide, quid in singulis corporis sui partibus patiatur. Sacrum illius caput spineâ coronâ redimitum est; facies livore decolorata; manus ac pedes perforati; totum denique corpus plagis lacerum, acerbissimis doloribus cruciatur. En JESUM meum!

par

par est, me illi similem esse; in hac similitudine po-
 sita est felicitas & perfectio mea. Heu! deliciis
 affluo, dum JESUS satiatur opprobriis! *Non decet*
sub spinis coronato capite membra latere delicata. Bern.

2. Quemadmodum corpus, sic animus Christi
 acerrimis doloribus cruciabatur; praevidebat enim,
 passionem suam multis hominibus inutilem fore;
 miserabatur Judaeorum excitatem, & supra modum
 tangebatur tristitia, suspiriis, & lacrimis Matris
 suae, quae cum dilecto discipulo juxta crucem sta-
 bat. O Luctuosum spectaculum! An siccis oculis
 JESUM & MARIAM intueri possum?

3. JESUS tam ignominiosam, tam crudelem mor-
 tem oppetere voluit, ut ab Inferno me liberaret;
 funditus perieram, nisi mortuus fuisset; tanto fa-
 vore indignus eram, ego tamen tot beneficiorum
 immemor, adeo non paratus sum ad fundendum
 sanguinem meum pro Christo, ut etiam suspirium
 & lacrimulam ipsi petenti denegem, & nova vete-
 ribus addens peccata, eum semper offendam. *Agnosce,*
quam gravia sint vulnera, pro quibus necesse est,
Christum vulnerari. Bern.

S. OTTO CONF.

23, Martii.

Gaudeo in passionibus pro vobis,
& adimpleo ea, qua desunt pas-
sionum

sionum Christi, in carne mea; pro corpore ejus, quod est Ecclesia.

Paulus. ad Col. 1.

Romæ natus OTTO Palladi primam
 aetatem devovit. A Pallade deinde ad
 Martem transit, utroque propitio. Nam
 & litteris excultus & armis præstans Lotha-
 rio Imp. cum hic Innocentio III. Pont.
 contra Pseudo Pontificem auxilium ferret,
 ita volente, veteri Majorum gloria Equitis
 etiam titulos adjecit. Nimirum nulla adæ-
 que calcaria Virtutem exstimulant, uti au-
 rea. Quod tamen DEVS sub suis signis mi-
 litare vellet OTTONEM, ostendit, quæ
 Mundus suis stipendia numeraret. Proin-
 dum pro Alexandro III. Pont. contra Frid.
 Imp. arma gerit, speratq; palmas & trium-
 phos, captivus carcerem ab hoc aufert, &
 vincula. Adest tamen D. Bernardus preci-
 bus vocatus, & dormientem ex hostiū ma-
 nibus non vano somno educit. Squallor
 carceris, & fames longa alium vultum OT-
 TONI induerant, ut facile omnes falleret.
 Liber ergo arma in se vertit, sibi bellum in-
 dixit. Locus castris metandis placuit Bene-
 ventum inter & Asculum. Sed & propu-
 gnaculum

gnaculum ingens extruxit cellam humilem
 Tela preces erant. Vulnera ab hostili manu
 nulla, honestissima à sua manu tulit. Ita
 sese subjugato, Arinnenſium quoque super-
 stitionem aggressus expugnare, effecit, ut
 qui ad id tempus Iani bifrontis imaginem,
 quâ publicis quâ privatis ædificiis præfige-
 bant, Christiani Christum potius præferer-
 rent, quàm DEOS ridiculos. Iisdem im-
 minentem ob scelera non modò ab Agare-
 nis, sed Christianis etiam vastitatē, & ruinam
 prædixit; cui tamen ipse morte subduxit sese.

Ex Ferrar.

MEDITATIO

De voluntariis corporis afflictio- nibus.

1. **JESUS** pro te mortuus est; sed, ut tibi proſit
 mors ejus, oportet, ut voluntariâ corporis
 afflictione cum eo moriaris, & adimpleas in carne
 tuâ ea, quæ defunt passionum ejus. Ita passi sunt
 Sancti omnes, ut patet ex eorum vita, in qua la-
 boris, crucis, doloris nomina tam sæpè repetun-
 tur. Quid dicis ad hæc? Quid adhuc pertulisti
 pro eo, qui pro te tam dura pertulit? *Qui tantum
 contulit, scit, quantum reposcat.* Euchèr.

2. Pati debes, ut honores, & imiteris **JESUM**
 patientem. Ah! si ex animo **JESUM** amares, cu-
 peres

peres vehementer, esse similis JESU. Considera Dominum tuum de cruce pendentem, attende & vide, utrùm dolor tuus sit, sicut dolor ejus. En! à plantâ pedis usq; ad verticem non est in eo sanitas; toto vitæ suæ tempore passus est; tu verò semper in deliciis, semper in voluptatibus. An existimas, viam esse aliam ad cælum præter eam, quam nobis indicavit?

3. Abstine primùm nonnullis licitis oblectationibus propter JESUM crucifixum; tum in honorem passionis ejus aliquid patere; aspectu JESU in Cruce patientis dulcescet, quidquid tibi amarum videtur. Tantam debes Christo, ut pro Christo mori deberes; attamen, quæ ejus bonitas est, non mortem, sed amorem querit. *Si debitam non morte solvimus, amore solvamus.*

S. PIGMENIVS M.

24 Martii.

Ambulate, dum lucem habetis, ut non tenebra vos comprehendant, & qui ambulat in tenebris, nescit, quò vadat, Christus. Ioan. 12.

INgratis servire nefas esse, didicit PIGMENIVS, Iuliani Cæsaris olim Magister: hoc unum

unum ab eo recepit Minerval, ut in exilium pelleretur: non alterius delicti reus, nisi quod SS. Martyrum ossa colligeret, & sacrâ reverentiâ tumularet. Jussus igitur Principis Apostatæ declinare terras, secessit in Persidem, ubi soli Deo vacans aliquamdiu exul delituit; reliquam vitæ ibi clausurus periodum, nisi aliter jussisset cælum. Jam cæcus, imperante Numine, Romam repetit, tunc tandem à discipulo suo coronandus lauro dudum proheritâ. In urbe Juliano obvius, visus est amicus esse Cæsaris: nam hic conversis in cælum oculis: *gratias inquit Djs immortalibus, quod iterum videam Pighmenium:* Sed nihil fucatis hisce blanditiis motus Pighmenius graviter reposuit: *Gratias Deo meo, quod non videam Imperatorem idolis servientem.* Excaudit ad hanc libertatem Apostata, & absque morâ, Sanctum in Tyberim projici imperavit; in hac Naumachiâ Victor vel invito Cæsare, navalem lauream reportavit.

MEDITATIO

De triplice cecitate.

I. **E**Xpedit, ut in hoc mundo sis cæcus, captivans intellectum tuum in obsequium fidei, & ea credas, quæ nec videre, nec intelligere potes. Ita credere debes mysteria SS. Trinitatis, Eucharistia,

○

stia, & alia bene multa, quæ fides credenda proponit. Quid mirum, si capere non potes hæc altissima mysteria? quandoquidem, quod est præ oculis tuis, imò te ipsum, & quod in te fit, capere nequeas. Deus non esset Deus, si capi posset. Credo, quia Deus dixit, & sufficit mihi ad probationem, dicti celestis oraculum. Salvian.

3. Esto cæcus in omnibus, quæ pelliciunt ad malum; cave, ne oculos in quamlibet partem temerè conjicias, alioquin & accendetur libido, & mentis tuæ tranquillitas perturbabitur. Nunquam aspexeris, quæ nec desiderare, nec habere potes sine peccato. Omnia verè vitia per oculos cor ingrediuntur, egrediuntur verò per eosdem oculos ex corde tuo pietas, humilitas, puritas. *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* David.

3. Esto cæcus in culpis alienis, nisi ex officio tuo aliorum vitia, & peccata tenearis observare. Intuere duntaxat egregias eorum tum naturæ, tum gratiæ dotes. Si sequaris hoc consilium, nec superbies, te ipsum comparans cum aliis, nec alios propter eorum vitia contemnes. Attende tibi, in te unum inquire; non enim alienæ, sed tuæ vitæ reddes rationem.

ANNUNCIATIO

B. M. V.

25 Martii.

Ingressus Angelus ad eam dixit. A-

ye

*ve gratiâ plena, Dominus tecum,
benedicta tu in mulieribus. Luc. 1.*

Hic ille dies est, quo non tam VIRGINI,
quàm mortalibus omnibus salutē Cæ-
lum nuntiavit. Nam, cum Homini consu-
lere in humana imagine DEVS statuisset, e-
amq; in rem olim præ omnibus sibi in Ma-
trem MARIAM legisset, ad illam Legatum
Gabrielem misit, qui postulata exponeret,
& VIRGINIS Coelitem nomine assensum pe-
teret. Fecit hic imperata, & latissimum il-
lud Ave, lætus MARIÆ tulit, aliaq; in lau-
dem addidit, quæ Angelum imitantes ho-
mines meritò quotidie gaudemus iterare.
Sed nunquam pulchrius illa erubuit, quàm
ad tot laudes suas, mirante nimirum hono-
rem suum modestiâ, quâ nemo unquam
minus agnoscit dotes suas, nemo minus li-
benter extolli audit. Itaque aggressus timo-
rem adimere beatus Nuntius, Matrem fore
vaticinatur Dei; inde nomen adjicit Filii;
Sceptra item & regna (omnia æternatura)
promittit. MARIA, vel quod, quàm vir-
go paritura esset, nesciret; vel quod Mater
sine Virgine esse nollet; longè magis hæsi-
tare, & de pudore, quem IEO voverat,

anxia, quâ id fieri posset, rogare. Mox tamen, ut ille arcanum rei ordinem enarravit: ANCILLAM modestissimè se præfata annuit, & verbum illud expectatissimum, FIAT, pronuntiavit. Tunc HOMO DEVS, & DEVS HOMO potuit dici. Tunc VIRGO, quod DEVS fecit, refecit: & unico verbo, quo hic orbem ante creavit, illa recreavit.

Ex S. Luca & Ioan.

M E D I T A T I O

In Annunciationem B. V. M.

1. **H**odie MARIA fit Mater Dei; humilitas, & puritas ejus, tantum honorem ipsi pepererunt. Prò! quanto mihi gaudio est, divina MARIA, excelsissima hæc dignitas tua! Verùm si es Mater Christi, Mater es utique Christianorum. O me felicem! ut Dei genitrix omnia potes, ut mater mea omnia cupis meâ causâ! possum etiam, si volo, per fidem, gratiam, charitatem, Christum in meo corde concipere; Nam *etsi secundum carnem una Mater est Christi, secundum fidem tamen omnium fructus est Christus.* Ambr.

2. Hodie JESUS fit frater noster, ejus in nos amor eum nobis similem facit, ut ipsi similes efficiamur. In terram descendit, ut ad cælum ascendamus. Adoro te, Verbum caro factum in castissimo Virginis utero! utinam dono aliquo pretiosissimum donum tuum rependere possem! Tuum est,

est. Frater amantissime, quidquid sum, & possum.

3. MARIA est Mater nostra, JESUS frater: An digni sumus filii MARIE, an digni fratres JESU? purissima, humillima, & obedientissima fuit MARIA. An iisdem virtutibus præditi sumus? JESUS studuit semper gloriæ sui Patris, & animarum salutis. An idem nobis est cum Fratre nostro studium? Num potius JESUS ingemiscens jure diceret MARIE: *Filij matris meæ pugnaverunt contra me?* Cant. I.

S. LVDGERVS EP.

26. Martii.

Orationi instate, vigilantes in eâ in gratiarum actione. Paul. ad Col. 4.

COELO, priusquam lucem aspiceret, charum esse LUDGERUM apparuit. Palus enim per cadentis matris latus egressus, cum mortem illaturus utrique crederetur, obstetricis instar fuit. Vix verba fingere blæsa, vix gressum firmare scivit, cum magnam in parvulo indolem studia prodiderunt. Neque enim ille, ut amat ea ætas, ludicris delectari, sed jam tum seria agere, & vel cortices in libros concinnare, vel lectitanti similis, aut scriptitanti assidere. Quare compellatus à nutrice, qui diem transegisset,

O 3

vel

vel libros, respondit, scribendo, vel legendo scriptos. Iterum quo magistro usus esset rogatus: DEO, subiecit. Talem in familiaritatem suam musæ, & in ipsa adyta sapientiæ admiserunt; quam ut in alios effunderet, ad Frisones Saxonesque contendit. Episcopus monasterii primus Cænobium etiam Werdense extruxit, & cum nemora densa obsisterent, ad hæc excindenda famulis ventis est usus, qui noctu, everfis latè arbutis, arcam amplâ ædificio parârunt, unâ tantum arbore relictâ, quæ precantem LUDGERUM texerat. Illud etiam memorabile: Carolum M. cui imprimis charus erat, tertio vocatus, dum preces, quas Canonicas dicimus, recitaret, neglexit adire, & appellatus ea de re, respondit, cum majore Principe sibi colloquium fuisse. Atque hæc, quæ ostenderet, delicatiorém ætatem nostram, libertas, chariorém etiam Carolo fecit, meruitque hic, dum Astra Alcuino Doctore usus contemplatur, novam stellam in celo videre, LUDGERUM mortuum.

Ex SUR. & Lippeloo.

MED.

MEDITATIO

De Oratione.

1. **O**Rationi semper vacandum est, ut semper nobis suppetat divinum auxilium, quod planè necessarium est, ut non deficiamus in tam variis tum animi, tum corporis necessitatibus, & ut visibiles & invisibiles hostes vincamus. Non potes, inquis, perpetuò orare; ora certè, quàm poteris, sæpissimè, principio nimirum, & fine actionis alicujus momenti, & dum erit tentationi resistendum.

2. Ora cum singulari reverentiâ, & modestiâ, ut, qui te viderint orantem, ad pietatem excitentur. Deus in oratione & applicationem animi, & humilem requirit corporis compositionem. Et quidem religiosa ac humilis corporis compositio multùm confert ad interiorem pietatem. An loquereris cum Principe, ut quandoq; loqueris cum Deo? Quàm præcipiti voce vocalem recitas orationem! Initio tuæ preceationis cogita, adesse te coram Deo, coram quo tremunt Cherubin, & Seraphin; & eâ, quâ par est, humilitate, & modestiâ, Deum affaberis: sed prò dolor! *Sapius ipsa etiam oratio vertitur in peccatum.*

3. Attentio requiritur ad orationem; Deus quippe spiritus cum sit, vult adorari spiritu. Sæpè contingit, ut os tuum Deo loquatur, cum animus peregrè est, nempe in divitiis, voluptatibus & aliis re-

bus,

bus, quas amas. Cor ipsum, non labia petit Deus.
Quomodo te audiri à Deo postulas, cum ipse te non au-
dit. Cyprianus.

S. RUPERTVS EPISC.

127 Martii.

Si quis loquitur, quasi sermones Dei.

S. Petrus. Ep. 1, cap. 5.

Sanguinem suum, quem ad Franciæ Re-
 ges Ducelq; Hiberniæ referebat RUPER-
 tus, tum nobilem esse probavit, quando
 Vangionum Episcopus, Virgis servilem in
 modum per urbem caesus, & in exilium est
 actus. Sed nobilissimo Exuli dignum domi-
 cilium patuit Bojaria. Huc evocatus in ex-
 ilium inde superstitionem misit, & primus
 ferè Boijs patriam suam cælum ipse exul o-
 stendit, regemq; primò Theodonem, tum
 proceres, mox populum magno numero sa-
 cro fonte lustravit. Abhinc sedem & arcem
 Sacrorum Juvaviæ (quæ hodie Salisburgū
 est) posuit, mox Cœnobiū hīc templumq;
 D. Petro; alterum dein montibus, idq; D.
 Maximiliano sacrum, velut præsidium san-
 ctæ Religionis imposuit, prodigiosis igni-
 bus tunc nobile. Sub hæc in patriam ma-
 gnis

gnis itineribus contendit, novasque auxilia-
res copias Virós XII. adduxit, sui planè, ut
aliud nihil dicam, simillimos. His adju-
vantibus bellum sanctum; totam penè Bo-
jariam Christo subegit, templaq; veit pro-
pugnacula pietatis plurima passim exstruxit.
Inter hæc utique & pulcherrimū ornamen-
tum patriæ, & firmissimum munimentum,
Ædes veteris Oetingæ numeratur, DEIPA-
RÆ sacra, ut quando huic omnia se debere
Boij fatentur, multum profectò etiam Ru-
PERTO debeant, qui Religionis Tutelam e-
am, VIRGINEM inquam, princeps conci-
liavit. Obiit ANNO DC. XXVIII. fati sui
certus & diei. Parentare lachrimis omnes
Boij, sed Angeli cantu festivo visi: illi for-
didati, hi candidati, ut nosces illos funeri,
hos animi triumpho adesse.

Ex SURIO.

M E D I T A T I O

De Verbis.

HOMO Christianus nullum unquam Verbum
proferre debet, quod Christum offendat.
Abstine itaque diligenter à malevolis, obscenis &
liberioribus dictis. Verbo peccare nihil facilius;
at admodum difficile est, imò sæpenumerò propè
impossibile, inflicta verbis vulnera sanare. An vel-

O s

les,

les, ut de te alii loquerentur, ut tu de iis quandoque loqueris?

2. Abstine pariter à jocosis, & inutilibus verbis. Si dicendis jocos affuescas, brevi effuties verba ambigua, & Christianæ charitati contraria; imò malles sæpius charitatis leges violare, quàm reticere facetum, & ingeniosum verbum. Supremi iudicii lance inutilia verba ponderabuntur. *Pone Domine custodiam ori meo. David.*

3. Ut Verbo non offendas, nec toties nec tamdiu cum aliis loquaris; in multiloquio non deerit peccatum, aut in Deum, aut in proximum. Si parum loquaris, sapiens & cordatus existimabere; stultus, & imprudens, si multum; & à multis contemnèris. Sæpissimè te pœnitebit, locutam fuisse; tacuisse nunquam. Deum loquere, quare, si quid silentio melius, aut excellentius habes: at, ubi filere præstat, quàm loqui, silentio acquiesce. *Greg.*

S. GUNTRAMUS CONFESS:

28 Martii.

Vnusquisq; vestrum proximo placeat in bonum ad ædificationem.

Paul. ad Rom. cap. 12.

Qui Reges salvam majestatem & regna sua volunt, rectè arces ædificant & propu-

pugnacula; sed rectius ijdem aras struunt
 templaque, & ad stipendia optimos præsi-
 arios, egentes evocant. Inter hos meritò
 Regem GUNTRAMUM numeramus, pulcher-
 rimum Gallix liliū, & meritò in Maria-
 num hortum transplantandum: Regias hic
 gazas omnes vel in sinum pauperū vel tem-
 plorum adyta prodigus sparfit. Certavit ve-
 rò cum GUNTRAMO DEVS, nunquam non
 victor, si de liberalitate cum homine cer-
 tamen sit. Et fortè fortuna somno, ad quē
 à venatione festum perstreptentis rivuli sū-
 sursus invitaverat, aliquantum indulgebat.
 Hic, qui pro dormiente vigilabat, Armiger,
 vidit Dominum cum somno nescio quod
 animalculum proflare: ei cū pontem en-
 se regio struxisset, aquas superavit & proxi-
 mo spelæo successit, paulò post viam can-
 dem relegens ore denuò Regis se abdidit.
 Subinde hic evigilat & somnium de reperto
 thesauro narrat. Sed & Armiger subjicit, quæ
 vigilans somniaverat. Ergò in specum itur
 & ingens auri vis eruitur, sed omnis iterum
 cælo, hoc est templis & egenis transcriben-
 da: quò factum, ut sicam eorum, qui par-
 ridales manus afferre Regi vel epulo sacro
 accumbenti, vel ad matutinas preces cuncti
 parabant

parabant, semper Numen excusserit prodia-
deritque. Tam firma, ô Reges, munimen-
ta templa sunt, tam fidi, si admittitis, corpo-
rum vestrorum Custodes pauperum sunt cohors!

Ex Greg. Turon.

MEDITATIO

De bonis operibus.

1. **D**Um vivis, quantum potes, bonis operibus
incumbe; alia siquidem omnia post mortem
nullius sunt pretii. Memineris quamlibet diem
pia quadam actione signare. Hæc vita brevis; longa,
futura. Commissa luere debes peccata: Ea redime
elemosynis: Quid tam parcus & durus es in pau-
peres? Quid tantum amas Principis imaginem in
nummis, & horres imaginem Christi in pauperibus?
*Quid imaginem Regis sculptam servas in solidis? & ima-
ginem Dei in hominibus detestaris? August.*
2. Coram Deo bona sint opera tua; ideòq; spe-
cta in eis potissimum gloriam, & voluntatem Dei.
Cave, ne vanitate, vel amore tui ipsius corrumpan-
tur, alioqui *mercedem accepisti*. Laudabit te mun-
dus, & Christus damnabit. Prò superi! cor meum
tam exiguum est, vita tam brevis, attamen cor &
vitam, Deum inter & mundum partiri vellem?
3. Videant etiam homines opera tua bona, ut
illa possint imitari. Ne te pudeat, Dei mandatis
obtemperare, & ejusdem consilia sequi. Statim pro-
fitere, Domino te servire, & coram te peccare
aude.

audebit nemo. Quidam forsitan secus interpreta-
buntur, & ridebunt virtutem ac pietatem tuam:
sed sine dementes insanire; imò lætare, nam Chri-
stianus, cum malè habetur à mundo, diligitur à Deo.
Ignat. Mart.

S. ARMOGASTVS,
& SATYRVS.

29. Martii.

*Si ergò non vigilaveris, veniã ad te
tanquam fur, & nescies, quã horã
veniam ad te. Apoc. cap. 3.*

AMbos Geiserici Arriani Regis furor af-
flixit, etſi SATYRUS regiæ domûs Pro-
curator, ARMOGASTUS Comes eſſet. Et
SATYRO quidem, ni ad perfidiam regis mo-
res ſuos etiam ipſe componeret, ob oculos
ponebantur officii, bonorum & liberorum
ſpoliationes, magna ſemper apud aulicos
momenta; Iplã adeo Conjunx ultimæ ſortis
homini, & qui camelos agebat, ad ludibriũ
jam fuerat deſtinata. Sed facilè deſpicere hæc
omnia poterat SATYRUS, qui oculos cœlo
deſixerat. Illa expugnare ferreum poterant
animum: ſupplex marito conjunx & juncta
matri

matri Liberorum cohors, firmissima acies:
 structæ deinde ante pedes insidiæ; infans,
 inquam, abjectus, minimus ille, sed maxi-
 mus apud patrem orator: confusæ denique
 omnium in unum lachrimæ gemitusq; po-
 tentissima apud domesticos tela. Perstitit
 tamen inconcussus SATYRUS, & objurgavit
 etiam intempestivam suorum pietatem, ut
 quæ impium in DEVM esse juberet. Ita ab
 officio dejectus omnibusq; exutus, in exi-
 lium nihil præter innocentiam extulit, & fi-
 dem DEO servatam. Iam ARMOGASTUS
 cùm nervis tibiæ, & frons torquerentur;
 nervo altero hos & fortiori (Cruce) non
 semel rupit. E pedibus suspensus dormire
 poterat videri. Ad sabulum cruentum dam-
 natus, virum in arenâ se præstitit; bobus
 pascendis præfectus, dignum hunc Martyre
 Magistratum censuit esse. Mortuus quoq;
 tumulari, tamen non nisi sub arbore voluit.
 Sed egesta sub hac humus sarcophagum è
 marmore ostendit tam splendidum magni-
 ficumq; , ut invidere tumulum
 pastori Reges potuerint.

Ex Viti, Viti.

MEDIT

De preparatione ad mortem.

1. **O**Mnis vita ad mortem debet esse preparatio, quoniam bona mors res est momenti omnium maximis; imò cætera nugæ sunt, si cum morte componantur. Quomodo te paras ad mortem? An vivis ut moriturus? Tibi fortè vitam polliceris longiorem? Deinceps prima tuarum curarum sit, parare necessaria ad magnam æternitatis viam, ne imparatus cogaris discedere. *Paratos nos inveniat extrema necessitas, quæ sapè pravenit imparatos.* Euch.

2. Morieris, non ignoras, sed semel duntaxat, & in hæc unica morte tum felix, tum infelix tua vertitur æternitas. Non hîc agitur de levis cujusdam boni jacturâ, sed de jacturâ omnium gravissimâ, quodque considerandum magis, irreparabili. O mors metuenda! An est quisquam, qui te diligenter meditetur, quin mundi fugiat pericula, seq; arctiori vinculo DEO conjungat?

3. Ut piè ac sanctè moriaris, piè ac sanctè vive. Nunquam indormias Peccato mortali. Manè, dum surgis, subeat animum hæc cogitatio: *Fortè non victurus sum ad occasum solis: & dum lectulum petis: Eodem forsàn linteo mortuus involvar, in quo dormiturus sum.* Interdum sic te interroga: *Essennè nunc ad mortem paratus? Nihil ita quotidie ut mortem homines vident, nihil ita obliviscuntur ut mortem.* Euch.

S. REG.

S. R E G V L V S
E P I S C O P V S.

30 Martii.

*Nunquam erit efficax instituentis
auctoritas, nisi eam effectu operis
sui, cordi affixerit audientis.*

Cassianus. Collat. 11. cap. 4.

Iter in Gallias D. Dionysio cum gemino
Icomite instituenti, tertius comes REGV-
LVS accessit, non infelicibus auspiciis. Ete-
nim, cum illi sanguine suo sterile etiamnum
solum rigassent, inter divina REGVLV^s e-
jus rei nuntias ternas columbas habuit, quæ
singulæ singulorum Martyrum nomina in
schedâ ferebant descripta. His ille auspiciis
fretus, bellum omni superstitioni indixit,
Templa passim Deorum evertit, DEO po-
suit. Cum ex humano hospicio Stygis in-
colam exigeret, voluit hic in mulum RE-
GVLI migrare. At, quò virtutem Crucis
vel ab hoc Magistro docerentur nostri here-
tici; mulus pede priore in pulvere Crucem
scripsit, itaq; longè hostem proscripsit. Di-
vus verò, qui aditum hunc orco negavit,
exitum

exitum è carceribus Christianis facile indū-
 sit. Nam cū permulti inter vincula age-
 rent, REGVLVS scipione clavis vice usus,
 ostium pulsavit, aperuit, vinctos omnes di-
 misit; cumq̄ urbi Præfectus unum pro o-
 mnibus vicariam victimā REGVLVM mor-
 ti destinasset, in somnis Dionysius adfuit,
 mortemq̄, quam REGVLO parabat, ipsi
 iudici intentavit. Illud simul lepidum, si-
 mul mirandum. Ad concionem dicebat;
 sed dicentem gatrula animalia Ranæ, sæpè
 sæpius interpellabant. Imperavit REGV-
 LVS silentium immorigeris, & ecce conti-
 nuò tacitæ audiverunt declamantem. Dixit-
 ses tunc illas in homines, hodie verò homi-
 nes in ranas iterum abiisse.

Ex Petro de Natal.

MEDITATIO

*Præstat verbum DEI facere, quàm
 audire tantum.*

I. **R**ANÆ REGULUM audierunt, & audita fe-
 cerunt, ad confusionem nostram, qui vel
 non audimus Verbum Dei, vel auditum non faci-
 mus. Frustra autem audis si non facis. Soli enim
 beati illi, qui audiunt Verbum Dei, & custodiunt
 illud; Soli è contra infelices illi multis vapulabunt,

P

qui

qui audiunt adeoq; sciunt voluntatem Dómini, nec tamen faciunt eam.

2. Dux quantumvis vocem extollat & ad bellum moveat, nil efficit, nisi miles pugnare velit. Solus auriga frustra torquet scuticam & clamorem effert, nisi equi trahere velint plaustrum, obediendo voci clamantis: Frustra dirigit Architectus, nisi operarii strenuè laborent. Sic frustra Verbum Dei audis monente concionatore, nisi monitis obedire velis.

3. *Israël si audieris me, non erit in te Deus recess. Audire in Sacra Scriptura, idem est, ac obaudire. Cain audiit vocem Dei monentis: cur concidis facies tuas si bene egeris recipies, si malè, in foribus adest peccatum. Audis, sed non obaudit, ideòque perit.*

S. BALBINA V.

31. Martii.

Crescite verò in gratiâ, & cognitione Domini nostri Salvatoris JESU CHRISTI. Petr. 2. Ep. cap. 3.

PVellis aliis Sponsam forma, Balbinæ deformitas conciliavit. Id in hunc modum accidit. Ad miraculum primò formosa fuit, obque id parenti Quirino Tribuno unicè chara. Sed quia hic Alexandrū Pont. itemque Hermetem Præfectum ob fidem in vinculis habebat, Numen vindicare impietatem

tatem patris in filia (oculo parentis) statu-
it, colloque Virginis ingens onus, & quod
omnem pulchritudinem extingueret, stru-
mam appendit. Cum hac dote cum nulli
jam placet BALBINAM ducere, & parens
desperandum sibi de nuptiis filiae videret,
Alexandrum in vinculis accessit, promisitq;
si strumam filiae collo pelleret, superstitione
se cum hac, animo pulsurum. Facile utrim-
que convēnit. Vix admovit Alexander fi-
liae vincula sua, quae Quirinus iniecerat, cum
illa strumam, uterque superstitionem posu-
it. Itaque jam Nuptiae splendide paraban-
tur. Sed puer elegantissimus adstitit Virgi-
ni, face armatus. Is sive amor, sive hyme-
naeus sanctior, facile melioris Sponsi amore
accendit, Jesuque ut nuberet, induxit. In-
terea creberrima oscula salutis auctoribus
vinculis Alexandri fixit. Idem praestitit mo-
nita ab Alexandro D. Petri vinculis. Mortui
dein pro Christo & Alexander & Pater. Virgo
longius supervixit, utriusq; haeres virtutis.

Ex Ferrar.

MEDITATIO

De nostro in virtute progressu.

1. Christianus nunquam debet in acquisito vir-
tutis gradu quiescere, sed ad sublimiora

P 2

semper

semper contendere. Grandis tibi restat via ad perfectionem. Considera S. Franciscum, S. Theresiam, aliosque complures, à quibus adhuc distas longissimè. Quot enim malè domiti affectus tuum animum adhuc conturbant? An eodem amore contemptum, & labores prosequeris, quo mundus gloriam, & voluptatem?

3. Cave, ne erres in viâ perfectionis. Frustra giganteo passu currit, qui aberrat à viâ. Quantumcunque labores, nisi sequaris divinam voluntatem, labor iste tuus vanus est, ac nullo præmio dignus. Ex tuo Præposito, vel ex eo, qui tibi est à confessionibus, percontare, quid potissimum facere debeas, ut placeas Deo. Alioqui *magni passus, sed extra viam.* Tertull.

3. Nihil quidquam de fervore tuo remittas. Vide utrum piâ exercitia, atque mortificationes vel omiseris omninò, vel minueris. Si te premat facti conscientia, cave, summo versaris in periculo. Quid nunc frigidius Deo servis? An minus dignus nunc est, qui à te diligatur, quàm erat, cum ex toto corde tuo eum amabas? Agedum pristinum fervorem excita: Dic cum Prophetâ: vix benè fervire cœpi Domino meo, qui ab æterno me dilexit. *Dixi, nunc cœpi.*

